M. TULLII CICERONIS

CATO MAIOR

SEU

DE SENECTUTE

EX RECENSIONE GERNHARDI

SELECTAM LECTIONIS VARIETATEM SUBJECIT, NOTULAS PUERILI INSTITUTIONI ACCOMMODATAS NEC NON INDICEM HISTORICUM ADDIDIT

IO. BAPT. HUTTER

VETERIS GYMNASII MONACENSIS PROFESSOR.

MONACHII CIↃIↃCCCXXXII

APUD JOSEPHUM LINDAUERUM.

(C. T. FR. SAUER.)

PRAEFATIO.

Ne quibus in suspicionem veniam adulationis mei vel arrogantiae, quod, quem librum nuper Maierus, professor Campodunensis, multa notarum supellectile adornavit, eundem ego, Ciceronis Catonem dico, tam brevi intervallo edidi: causam necesse est afferre me, cur propter rationem neque Maieriani, neque Gernhardiani etiam operis a nova editione Catonis voluerim mihi temperare. Etenim Campodunensi editione forte fortuna ad consilium edendi hujus opusculi sum adductus, tantum abfuit, ut avocarer. Rem dicam. Perlustrabam, ut soleo, catalogum quendam librorum, qui tum primum exissent. Ita casu in illum librum incidi; continet autem is Laelium et Catonem. Atque tum non nisi de Laelio nescio qua temeritate oculorum legere mihi visus sum, neque non dolebam, quod scilicet non etiam apparuisset Cato. Quae res quum tunc opinionem meam fefellisset, atque ipse in lectione, hoc semestri aestivo discipulis de Catone habita, re essem expertus, deesse gymnasiis nostris utilem libri *de Senectute* editionem; Gernhardianam autem non hujus esse aetatis horumque studiorum judicassem: jam vulgare statui hunc libellum, ita quidem instructum, ut is institutioni puerorum paulo esset accommodatior.

Ac primum quidem id mihi curandum esse ratus in hoc opere, ut legentibus textum emendatiorem exhiberem, recensionem dedi Gernhardianam. Cujus quum auctoritatem ceteris anteferrem, nonnulli occurrebant loci, in quibus non poteram a viro doctissimo non dissentire; idque in notis monebam, ipsas lectiones mutare non ausus, ne in textu auc-

toritatis esset inconstantia neve offensio. Sed in his locis ed. Orellianae lectiones probare solebam; est, ubi meo solius stabam judicio. Quod autem selectam lectionum varietatem subjunxi, hoc nescio an non minus a docentibus gratiam iniisse, quam discentium utilitati ac studio servisse videar. Dedi enim ex Orellii libro earum lectionum insigniores, de quibus nihildum inter criticos constaret; deinde alias, quae certo argumento probari possent nullo, adjiciendo id egi, ut haberet praeceptor, in quo jam nunc critica discipuli ingenium exerceret arte. Ego vero summo opere adstipulor iis, qui in ejusmodi exercitatione puerilem quoque aetatem volunt versari. Cujus sententiae auctores, quum multi sint, duos satis sit protulisse. Bremius quidem — si modo eum Latine exprimere possim — in Praefat. ad Corn. Nep. p. XIX.: „Quid enim? inquit. Si licuerit eos potissimum locos disputationis eligere, in quibus vulgatam esse falsam, veram, quam attulerit lectionem, facili modo appareat, ecquid in hac parte deerit ludo bonus magister docendique peritior? Accedit, quod est praeceptoris, acuere ingenia discipulorum eosque gnaviter docendo ad diligentem attentamque lectionem veterum auctorum instruere; ad quod munus exsequendum nescio an nulla excogitari possit ars arte critica utilior. Primum enim considerandum, et, qua ratione omnes sententiae ejus, de qua quaeritur, partes conspirent; et, quid auctor voluerit, senserit, dixerit. Deinde diligenti ac subtili opus est disputatione, lectio vulgata in quo concinat, in quo discrepet cum reliquorum dictorum convenientia consensuque; eodemque modo videndum, utrum, nova lectione adhibita, quae dubia fuerint, jam certa esse coeperint, nec ne." Heldius autem ad Caes. bell. civ. Praef. p. XI. haec dicit: „Criticas disputationes de his tantum locis ingressi sumus, in quibus vel linguae perdiscendae facultas esset, vel palaestra

posset fieri mentis exercendae. Itaque de nonnullis, qui criticorum argumentis jam pridem constituti sunt, locis disputavimus." Idem ad Caes. bell. Gall. p. IX.: „Nec non variantes nulla cum disputatione lectiones attulimus, ne puero deessent exercitationes ingenii." Quod si in iis, qui Nepotis et Caesaris scripta legunt, fieri recte hi voluerunt, id plus etiam exigitur ab his, volumina qui versant Ciceronis.

Jam vero, ut titulos variis in hoc libello lectionibus appositos dignoscere possis, huc ex ed. Orelliana eos libros transcribam.

I. Codex Regius seculi noni, antiquissimus et fide maxime dignus. (R.)

II. Fragmentum codicis vetustissimi Bernensis. (Bern.)

III. Lectiones ed. Erfurtensis in Wunderi libro p. 143. seqq. (E.)

IV. Lectiones ed. Trevirensis excerptae a Loersio. (T.)

V. Cd. Basileénsis, membranaceus Sec. XIV. (b.)

VI. Excerpta Bedae, in ejus operibus. (B.)

VII. Excerpta Eybii in Margarita poëtica. (e.)

VIII. Editio Vindelini de Spira MCCCCLXX. Venet. fol. (v.)

IX. Editio Francisci Sylvii. Januario 1530. In officina Ascensiana. 4°. (S.)

X. Editio Victoriana. (V.)

XI. Editio Pauli Magnoli. (m.)

XII. Editio Pauli Manutii. 1555. (M.)

XIII. Lambiniana. 1566. (L.)

XIV. Editio Suffridi Petri. Basileae 1568. 8. (P.)

XV. Ed. Graeviana major (3.)

XVI. Lallemandiana. (Lall.)

XVII. Ernestiana. (1.)

XVIII. Goeziana (g.)
XIX. Wetzeliana altera. (W.)
XX. Schuetziana. (2.)
XXII. Billerbeckiana.
XXIII. Nobbiana. (N.)
XXIV. Franc. Nicolai Kleinii Programma.
XXV. Observationes nonnullae etc. scripsit O. M. Müller (Seebode Arch. 1. 2. p. 355.).
XXVI. Censurae ed. Gernhardianae ab Hermanno et a Mosero conscriptae. Affert ille lectiones aliquot Cdd. duorum (l. p.); hic alias sui cd. (Cd. Moseri.).

Venio nunc ad animadversiones. De quibus duplex mihi oritur quaestio; una, quem teneat animadversor modum; altera, patrio sermone scribat an Latino. De superiore enim quaestione equidem sic sentio: cum omnino rationes sint duae, quas propter rationes cum pueris veterum chartas evolvimus, propter interpretationem scripti et emendationem stili: res puerorum aetati parum notas, et, si quid dictum fuerit obscurius, enarrabit animadversor; constructiones ac significationes minus vulgares illustrabit exemplis; notabit elegantiam ornatumque dicendi; tum, in his omnibus ne nimius sit, cavebit, studebitque brevitati. — At enim in exigenda brevitate morosus esse non recte posse videor, meoque jugulari gladio; ipse copiosior fui in enarrandis locis historicis! — At ego causam dicere non dubitabo. Negari equidem non potest, longe maximum hujus libelli momentum in cognitione a Tullio positum esse historiarum; dictaque a Catone atque argumenta ita demum satis habitura esse lucis, si totum in ea cognitione collocaveris lectorem. An si pueri, quum ad legendum hunc dialogum accedunt, eas ipsas historias institutione jam superiore cognitas haberent, id nobis non videretur praeclarum? Scipionum quidem fortia facta a

Cicerone laudantur; num igitur alienum erit, pugnas eorum breviter narrare? Quî poterit magnum Aemilii animum, nisi morte hujus gloriosissima ipsi descripta, puer cum sene Catone admirari? Idem quum irridet Milonis illius vires, neque roboris in hoc enarratione, neque victoriarum, neque mortis miserrimae est supersedendum. Quod quum mihi faciendum esse censuissem, quae de una re vel persona digerenda erant in notulas diversas, in unum congessi, atque ad instar indicis in fine libelli subjeci.

Sed venio ad alteram quaestionem, quae est de sermone. Ego quidem notas in Catonem Latine scripsi, non quod ignorarem, multos esse, qui contra sentirent, sed quod eos, qui in contraria essent sententia, falsos esse vidi. Quid enim? Hoc non est pugnare secum, dicere, quibus discipulis in manus tradi chartae debeant Ciceronianae, his intellectu difficiliores esse notulas Latinas? Quod quidem si verum esset, istis discipulis non dandus erat Cicero; qui cui recte dabitur, nae ille non multum haerebit in notis Latinis. Imo largiar istud ipsum, quamvis absurdum sit. At ingenio tam pigro discipulum, quin, modo aliquot per dies notas Latinas tractaverit, vel maximum harum usum habeat, invenies, opinor, neminem. Sed istuc unde repetendum sit, non video, cur non audeam dicere. Vestigia enim in isto cernere mihi videor sectae cujusdam delicatioris, quae, et haec intra limina sese insinuans, quasi quaedam fracta misericordia filiorum matercula, minuere laborem cupit industriamque discendi. Ergo increbrescit nunc quummaxime futilis stultorum quorundam paedagogorum plenaque levitatis sententia; quae ab omni intentione animi, assiduaque ac vehementi occupatione studiorum abhorret, ignaviae inertiaeque testis atque adulatrix! Quorum fatuitati dubito an omnes assentiri videamur, quicunque a lege decesserimus disciplinae severioris. Paraphrasim qui-

dem difficiliorum locorum sermone scribere patrio, numquid hoc aliud est, nisi puero partium libri satis multarum subministrare versionem? Non eodem modo isti, non Graeca neque Latina, sed versiones operum Graecorum et Latinorum a discipulis legendas esse dictitantes, contendunt levitatis buccinatores? Age, ut ad nostra veniamus: est ut istorum damnosissima, ita saluberrima haec ratio studiis. Tantum enim abest, ut ex notis Latinis nihil discat juventus, ut eas res melius percipiat, quae Latina, quam quae vernacula tradentur lingua. Quodsi qui contra disputent, nihil agant. Nisi forte alterumutrum a se demonstrari posse putant, deese scilicet aut his discipulis legendi facultatem, aut huic sermoni perspicuitatem dicendi; quorum illud modo est a nobis refutatum, alterum ne eget quidem refutatione. Haec nimirum est indoles, hoc ingenium linguae Latinae, ut possint ea res dici non modo gravius et ornatius, sed brevius etiam, clarius, distinctius. — At majore opus est Latina legentibus attentione! — Sane quidem. At eo acrius hi perspicient, quae legerint, leviter tantum percursuri, quae patrio, id est, decantato ipsis sermone sint perscripta. Quid quod etiam ad perdiscendam linguam aliquid confert haec lectio? Nam Latinas vel synonymorum vel obscurius dictorum interpretationes legentibus et copia electioque verborum augebitur, et multarum apparebit locutionum cognatio ac similitudo. Accedit, quod, quum in his arctiorem quandam, ut fit, grammatice scribendi normam servemus, pueri, quas ex grammaticorum libellis didicerint, nostra legentes repetent usuque probabunt regulas. Ne plura! Qui puero sermone Latino usquequaque utendi necessitatem injunxerit, is demum caverit, ne sit futurum, ut hic in Latio hospes esse videatur. Atque de ratione et consilio hujus opusculi haec habui, quae dicerem.

Scrib. Monachii a. d. IX. Kal. Novembres. MDCCCXXXI.

M. T. CICERONIS

CATO MAIOR

SEU

DE SENECTUTE

AD

T. POMPONIUM ATTICUM.

Caput I.

Inscribit hunc librum Cicero T. Pomponio Attico, aequali suo ac familiari; deinde rationem dialogi exponit, omnemque sermonem Catoni, quem cum Laelio et Scipione disserentem fecerit, tribuisse se dicit.

I. *O Tite, si quid ego adiuro, curamve levasso,* 1
Quae nunc te coquit et versat in pectore fixa,
Ecquid erit praemi?

1. Alii legunt *pretii.* —

Cap. I. §. 1. *O Tite*] Hos versus, quibus Ennius Titum Flamininum alloquitur, Cicero in suum usum convertit, eisque Titum Pomponium Atticum, cui et ipsi praenomen erat *Titus*, affatur.

adjuro-levasso] de his Fut. formis consule Zumpt. gramm. cap. 43. §. 160, a. et 161, e.

versat] syllaba finalis tertiae Sing. apud antiq. poëtas communis est; cfr. IV. 10. et VII. 24.

praemi] Recte haec lectio pro vulgata *pretii* recepta est, quod monente Bentl. ad Terent. Andr.

Licet enim versibus iisdem mihi affari te, Attice, quibus affatur Flamininum

Ille vir, haud magna cum re, sed plenu' fidei.

Quamquam certo scio, non, ut Flamininum,

Sollicitari te, Tite, sic noctesque diesque:

novi enim moderationem animi tui et aequitatem; teque non cognomen solum Athenis deportasse, sed humanitatem et

---

II. 1. 20, et Schneid. Element. II. p. 59. Genit. in *ii* non in usu erat antiquis poëtis; cfr. VIII. 25.

Attice] de Attico ejusque vita adi indicem historicum; ad quem omnino, quotiescumque occurrat nomen proprium, delegatum velim lectorem.

Ille vir] Ennius, de quo plura in ind. hist.

cum re] *Res* est h. l. res familiaris, ut infra VII. 22.

plenu' fidei] Animadverte abjectam literam *S*, quod, sequente consonante, legitime faciunt antiquiores; et productam vocalem ante vocalem in voce *fidei*; cfr. V. 14.

aequitatem] h. e. tranquillitatem, significatione a tranquillo maris aequore ad animum translata.

non cognom. solum, sed —] *sed* h. l. est corrigentis. Solet enim Cicero in correctione *sed* pro *sed etiam* ponere. cfr. XI. 36; sed alii etiam scriptores, ut Liv. XXII. *in agrum Picenum avertit iter non copia solum omnis generis frugum abundantem, sed refertum praeda, quam effuse avidi atque egentes rapiebant;* et Nep. Cim. IV. 1. *Hunc Athenienses non solum in bello, sed in pace diu desideraverunt.* Ad quem locum comparandus est Brem.

humanitatem] De significatione vocabuli *humanitas* audiendus est Gell. N. A. XIII. 15: *Qui verba Latina fecerunt, quique iis probe usi sunt, humanitatem non id esse voluerunt, quod vulgus existimat, quodque a Graecis φιλανθρωπία dicitur, et significat dexteritatem quandam benevolentiamque erga omneis homines promiscuam. Sed humanitatem appellaverunt id propemodum, quod Graeci παιδείαν vocant, nos eruditionem institutionemque in bonas arteis dicimus: quas qui synceriter cupiunt appetuntque, ii sunt vel maxime humanissimi. Hujus enim scientiae cura et disciplina ex universis animantibus uni homi-*

prudentiam intelligo. Et tamen te suspicor iisdem rebus, quibus meipsum, interdum gravius commoveri: quarum consolatio et maior est, et in aliud tempus differenda. Nunc autem mihi visum est de Senectute aliquid ad te conscribere. Hoc enim onere, quod mihi tecum commune est, aut iam
2 urgentis aut certe adventantis senectutis et te, et meipsum levari volo: etsi te quidem id modice ac sapienter, sicut omnia, et ferre et laturum esse certo scio. Sed mihi, cum de senectute aliquid vellem scribere, tu occurrebas dignus eo munere, quo uterque nostrum communiter uteretur. Mihi quidem ita iucunda huius libri confectio fuit, ut non modo omnes absterserit senectutis molestias, sed effecerit mollem etiam et iucundam senectutem. Numquam igitur satis laudari digne poterit philosophia, cui qui pareat, omne tempus

---

2. *digne* omittunt Codd. aliq. Ascens. M. L. —

ni data est, idcircoque humanitas appellata est.

iisdem rebus] sc. cura ex reipublicae statu post Caesaris caedem, libertatisque amissione.

§. 2. *quod mihi tecum commune*] agebat enim, cum hunc dialogum scribebat, Cicero annum LXIII, Atticus ann. LXVII.

modice] i. e. leniter, moderate, ut Famm. IV. 4: *modice hoc faciam, aut etiam intra modum.* Legg. III. 18: *Quae cum populo, quaeque in patribus agentur, modica sunt.* Orat. 25: *actio non tragica, nec scenae, sed modica jactatione corporis, vultu tamen multa conficiens.*

Sed mihi] *sed* post digressionem aut parenthesin longiorem eleganter pro *igitur*, *inquam* etc. adhibetur, ut Cic. Off. I. 30: *si quis est paulo ad voluptates propensior, modo ne sit ex pecudum genere (sunt enim quidam homines non re, sed nomine), sed si quis est paulo erectior* etc. cfr. XVI. 56. IX. 28. et Zumpt. gramm. cap. 84. §. 736.

mollem-jucundam] *mollis* res est, in qua nihil te offendat, *jucunda*, quae animum juvet.

cui qui pareat] de Conjunctivi usu in sententiis relativ. vide infra ad IX. 27.

3 aetatis sine molestia possit degere. Sed de ceteris et diximus multa, et saepe dicemus: hunc librum de senectute ad te misimus. Omnem autem sermonem tribuimus non Tithono, ut Aristo Chius, ne parum esset auctoritatis in fabula; sed M. Catoni seni, quo maiorem auctoritatem haberet oratio. Apud quem Laelium et Scipionem facimus admirantes, quod is tam facile senectutem ferat, iisque eum respondentem. Qui si eruditius videbitur disputare, quam consuevit ipse in suis libris, attribuito Graecis litteris, quarum constat eum perstudiosum fuisse in senectute. Sed quid opus est plura? Iam enim ipsius Catonis sermo explicabit nostram omnem de senectute sententiam.

Caput II.

Jam Scipionem et Laelium inducit Cicero Catonem admirantes, quod is senectutem tam facile ferat, quam plerique senes tam-

3. *alias multa* L. P. — *hunc vero librum* v. S. V. m. M. — *libris suis* R. E. —

possit degere] de Conj. *possit* vide Zumpt. gramm. cap. 78. §. 527.

§. 3. *de ceteris*] sc. philosophiae locis; cfr. de Divin. II. 1 et 2.

librum ad te misimus] *mittere librum* h. l. est alicui librum inscribere, (widmen) ut de Fin. I. 3: *Ego autem quem timeam lectorem, quum ad te, nec Graecis quidem cedentem in philosophia, audeam scribere? Quamquam a te ipso id quidem facio provocatus gratissimo mihi libro, quem ad me de Virtute misisti.* et ibid. III. 2: *Quod si facerem quasi te erudiens, jure reprehenderes. Sed ab eo plurimum absum, neque, ut ea cognoscas, quae tibi notissima sunt, ad te mitto; sed quia facillime in nomine tuo acquiesco, et quia te habeo aequissimum eorum studiorum, quae mihi communia tecum sunt, existimatorem et judicem.*

in fabula] Recte vertit Theod. Gaza: ὡς ἐν μύθοις.

Catoni seni] quartum et octogesimum annum agebat tum, cum hunc sermonem habebat.

eruditius] i. e. elegantius, ut Parad. 2. 5: *Nos quoque oculos eruditos habemus*, Colum. VIII. 14: *doctaque et erudita palata fastidire docuit fluvialem lupum.*

quid opus est plura] subaudi *addere*; a quo omisso pendet Accus. *plura*.

quam onus, gravissimum accusent. Quibus falsas esse istorum querelas, neque senectutis, quae a natura sapienter constituta sit, sed stultitiae atque perversitatis esse culpam, a Catone respondetur.

II. Scipio. Saepenumero admirari soleo cum hoc C. 4
Laelio, tum ceterarum rerum tuam excellentem, M. Cato, perfectamque sapientiam, tum vel maxime, quod numquam senectutem tibi gravem esse senserim; quae plerisque senibus sic odiosa est, ut onus se Aetna gravius dicant sustinere. — Cato. Rem haud sane difficilem, Scipio et Laeli, admirari videmini. Quibus enim nihil opis est in ipsis ad bene beateque vivendum, iis omnis gravis est aetas; qui autem omnia bona a se ipsis petunt, iis nihil potest malum videri, quod naturae necessitas afferat. Quo in genere in primis est senectus; quam ut adipiscantur, omnes optant; eandem accusant adeptam. Tanta inest inconstantia stultitiae, atque perversitas! Obrepere aiunt eam citius, quam putassent. Pri-

4. *mirari* v. m. 3. — *quum ceterarum* E. T. S. V. M. P. — *a se ipsi* R. S. L. P. 3. — *adepti* E. T. V. M. L. 1 W. 2

Cap. II. §. 4. *cum hoc*] de peculiari usu Pronom. *hic* vide infra XXII. 81.

cet. rerum] pendet hic Genit. a voce *sapientiam*, ut de Orat. II. 37. *cum illam sapientiam constituendae civitatis duobus prope saeculis ante cognovit* etc. *Ceterae res* quae sint, tum ex iis, quae Cato infra §. 5. de se dicit, tum ex Laelio II. intelliges.

adeptam] quae Participia verb. Depon. sensu passivo occurrant, vide in Zumpt. gramm. c. 81. §. 632. Ad nostrum locum conferenda sunt haec: Sallust. Jugurth. CI.: *At Jugurtha, dum sustentare suos, et prope jam adeptam victoriam retinere cupit, circumventus ab equit.* etc.; idem Cat. VII. *Sed civitas, incredibile memoratu, adepta libertate, quantum brevi creverit.* Plaut. Trin. II. 2. 88.: *Non aetate, verum ingenio adipiscitur scientia.* Cfr. etiam Ovid. Trist. IV. 8. 19. et Tacit. Ann. I. 7.

stultitiae] *stultitia* est h. l. pro *stultis*; de usu abstractorum pro concretis vid. Zumpt. c. 84. §. 675.

mum, quis coëgit eos falsum putare? Quid enim? citius adolescentiae senectus, quam pueritiae adolescentia obrepit? Deinde, quî minus gravis esset iis senectus, si octingentesimum annum agerent, quam octogesimum? praeterita enim aetas, quamvis longa, cum effluxisset, nulla consolatione permulcere posset stultam senectutem. Quocirca si sapientiam meam admirari soletis — quae utinam digna esset opinione vestra nostroque cognomine! — in hoc sumus sapientes, quod naturam, optimam ducem, tamquam deum, sequimur, eique paremus: a qua non verisimile est, cum ceterae partes aetatis bene descriptae sint, extremum actum, tamquam ab inerti poëta, esse neglectum. Sed tamen necesse fuit esse aliquid extremum, et, tamquam in arborum bacis terraeque frugibus, maturitate tempestiva quasi vietum et caducum: quod ferendum est molliter sapienti. Quid enim est aliud, gigantum modo bellare cum diis, nisi naturae re-

---

Vulgo: *Qui enim.* — 5. *esse aliquod* v. S. m. M. —

Quid enim] formula interrogandi instandique sollennis, quae alteri interrogationi praeponitur, eandemque significationem habet, quam *Quidni*, Graecorum τί γάρ; τί μήν; (Herm. Vig. pag. 729). — Cic. Fin. II. 28. *Primum quid tu dicis breve? deinde dolorem quem maximum? Quid enim? Summus dolor plures dies manere non potest? Vide ne etiam menses.* Lael. IX. *Quid enim? Africanus indigens mei? Minime, Hercle.*

Quam octogesimum] vide, ne praestet legere, *quam si octog.*

§. 5. *opinione*] i. e. existimatione.

nostroque cognomine] confer ad hunc locum Lael. II. et ind. *hist.*

arborum bacis] *baca* h. l. de omni fructu arboreo dicitur, ut Legg. I. 8. *Nec solum ea, quae frugibus atque bacis terrae foetu profunduntur, sed etiam pecudes.* etc. Tusc. I. 14. *Arbores seret diligens agricola, quarum aspiciet bacam ipse nunquam.*

vietum] i. e. lanquidum, vocique *recens* opponitur.

pugnare? — Laelius. Atqui, Cato, gratissimum nobis, 6 ut etiam pro Scipione pollicear, feceris, si, quoniam speramus, volumus quidem certe senes fieri, ante multo a te didicerimus, quibus facillime rationibus ingravescentem aetatem ferre possimus. Cat. Faciam vero, Laeli; praesertim si utrique vestrum, ut dicis, gratum futurum est. — Lael. Volumus sane, nisi molestum est, Cato, tamquam aliquam viam longam confeceris, quam nobis quoque ingrediendum sit, istuc, quo pervenisti, videre, quale sit.

Capitt. III. IV. V.

Rogatus a Laelio et Scipione Cato, ut ipsos doceat, qua ratione senectutem facillime ferre possint, ait, morum vitio pleris-

---

6. *multo ante* B. E. b. M. L. P. — *aliquam longam viam* p. prob. Herm. cui *longam* glossema videtur.

§. 6. *Atqui*] Vis hujus particulae h. l. ea est, ut, quemadmodum saepe in colloquiis, continuet et prosequatur rei, de qua amplius dubitari nequeat, affirmationem, ubi nos allerdings, nun ja, freylich wohl, ut Plin. Hist. nat. XV. 18. 20: *Interrogo vos, inquit, quando hanc pomum decerptam putetis ex arbore? Quum inter omnes recentem esse constaret: Atqui tertium, inquit, ante diem scitote decerptam Carthagine.*

feceris] de usu Fut. exact. pro simplici vid. Zumpt. c. 76. §. 511.

ante multo] per transpositionem pro *multo ante*, ut Caes. bell. Civ. I. 20. *post paullo tamen* etc. cfr. Caes. B. G. VII. 60.

ingravescentem] *ingravescere* est *crescere*, qua cum voce ejusdem est radicis; usurpatur autem, si quid video, de iis potissimum rebus, quae repente accrescunt, ut senectus, tempestas, morbus; itaque *aetas ingravescens* idem est, quod supra §. 4. *senectus obrepens*. Eodem sensu hac voce etiam usus est noster ad Fam. II. 1. *Quare hoc animo in nos esse debebis, ut aetas nostra jam ingravescens in amore atque in adolescentia tua conquiescat.* de Divin. II. 6. *Medicus morbum ingravescentem ratione providet, insidias imperator, tempestates gubernator.*

istuc] de peculiari Demonstrat. usu et discrimine vide Zumpt. gramm. c. 34. §. 127.

que senibus gravem esse eam, negatque fortunam solam, sed virtutem vitaeque bene actae conscientiam arma esse illius aetatis aptissima; quod tum summi ducis, Fabii Maximi, exemplo illustrat, tum Platonis, Isocratis, Gorgiae, Ennii, qui in otio literisque aetatem jucundissimam egerint. Dehinc quattuor causas, propter quas senectus misera videatur, enumerat.

7 III. CATO. Faciam, ut potero, Laeli! Saepe enim interfui querelis meorum aequalium — pares autem cum paribus, veteri proverbio, facillime congregantur — quae C. Salinator, quae Sp. Albinus, homines consulares, nostri fere aequales, deplorare solebant; tum quod voluptatibus carerent, sine quibus vitam nullam putarent; tum quod spernerentur ab iis, a quibus essent coli soliti. Qui mihi non id videbantur accusare, quod esset accusandum. Nam si id culpa senectutis accideret, eadem mihi usu venirent, reliquis-

---

7. *quas C. S.*, *quas Sp. Alb.* b. p. m. M. probb. Herm. et Beier. Off. T. 2. p. 150 et 365. — *usu evenirent* omnes praeter Codd. G. N. qui habent *usu venirent*. —

Cap. III. §. 7. *veteri proverbio*] ut apud Hom. Odyss. 218. ὡς αἰεὶ τὸν ὁμοῖον ἄγει θεὸς ὡς τὸν ὁμοῖον.

facillime] est h. l. libentissime; ut Fin. III. 2. *neque ut ea cognoscas, quae tibi notissima sunt, ad te mitto, sed quia facillime in nomine tuo acquiesco;* cfr. etiam Terent. Adelph. III. 4. 56. Pari modo Graeci ῥᾶστα pro ἥδιστα usurpant.

quae C. S., *quae Sp. Alb.* — *deplorare solebant*] est anacoluthon, sed illud quidem post parenthesin excusandum; repetuntur autem verbis mutata eadem, quae in praecedentibus — *interfui querelis meorum aequalium* — jam posita erant. Sic fere Nep. Ages. VI. 1.: *Quo ne proficisceretur, ut si de exitu divinaret, exire noluit.* Confer etiam apud eundem Eum. XII, 1 et 2, Cic. Tusc. V. 29. 82: *Melius equidem* etc.

vitam nullam] h. l. insuavem cfr. de Orat. II. 5. 20 et 6.

usu venirent] usu venire dicuntur ea, quae se hominis experientiae offerunt, Cfr. Brem. ad Hannib. XII. 3.

-que omnibus maioribus natu. Quorum ego multorum cognovi senectutem sine querela; qui se et libidinum vinculis laxatos esse non moleste ferrent, nec a suis despicerentur. Sed omnium istiusmodi querelarum in moribus est culpa, non in aetate. Moderati enim et nec difficiles nec inhumani senes tolerabilem agunt senectutem; importunitas autem et inhumanitas omni aetati molesta est. — LAELIUS. Est, ut di- 8
cis, Cato: sed fortasse dixerit quispiam, tibi, propter opes et copias et dignitatem tuam, tolerabiliorem senectutem videri; id autem non posse multis contingere. — CATO. Est istuc quidem, Laeli, aliquid; sed nequaquam in isto sunt omnia: ut Themistocles fertur Seriphio cuidam in iurgio respondisse, cum ille dixisset, non eum sua, sed patriae gloria splendorem assecutum: *Nec hercule*, inquit, *si ego Seriphius essem, nobilis; nec tu, si Atheniensis esses, clarus umquam fuisses.* Quod eodem modo de senectute potest

---

8. *tolerabilem* T. v. S. M. m. P. — *nec hercle* b. M. — *non hercle* v. — *ignobilis* R. E. T. b. v. Lall.

moderati enim et nec difficiles nec inhumani] *moderati* senes sunt, qui modeste agunt, *difficiles*, quibus nemo satis facit, *inhumani* autem, qui moribus sunt parum urbanis; Ern. ad Cic. Off. I. 40: *Inhumanus* dicitur, qui *in convivio meditatur adtentius*, quod alienum est ab homine, in convivio non hilarem esse, loqui etc.

importunitas] *importunus* dicitur, qui nemini cedit.

omni aetati molesta est] i. e. molestiam gignit. An legendum *omni in aetate?* quo facto etiam vocabulo *omni* vis major adderetur.

§. 8. *opes et copias*] *opes* et *copiae* differunt, quod hae divitiae sunt ampliores; est enim vocabulum *copiae* quasi *coopiae* Intensivum a voce *opes* natum; Inven. II. 1. *Crotoniatae quum florerent omnibus copiis;* Parad. VI. 2. *Est divitiarum fructus in copia, copiam autem declarat satietas rerum atque abundantia.*

nobilis — clarus] *nobilis*, qui loco illustri ortus est, *clarus*, qui rebus gestis sibi gloriam peperit; quorum alterum fortunae, alterum naturae debetur et studio.

dici. Neque enim in summa inopia levis esse senectus potest, ne sapienti quidem, nec insipienti etiam in summa copia
9 non gravis. Aptissima omnino sunt, Scipio et Laeli, arma senectutis artes exercitationesque virtutum, quae in omni aetate cultae, cum multum diuque vixeris, mirificos efferunt fructus, non solum quia numquam deserunt, ne in extremo quidem tempore aetatis — quamquam id maximum est — verum etiam, quia conscientia bene actae vitae multorumque benefactorum recordatio iucundissima est.

10 IV. Ego quidem Maximum — eum, qui Tarentum recepit — adolescens ita dilexi senem, ut aequalem. Erat enim in illo viro comitate condita gravitas; nec senectus mores mutaverat. — Quamquam eum colere coepi non admodum grandem natu, sed tamen iam aetate provectum. Anno enim post consul primum fuerat, quam ego natus sum: cumque eo quartum consule adolescentulus miles profectus sum ad Capuam, quintoque anno post ad Tarentum. Quaestor deinde quadriennio post factus sum: quem magistratum gessi consulibus Tuditano et Cethego, cum quidem ille, admodum senex, suasor legis Cinciae de donis et muneribus fuit. — Hic et bella gerebat ut adolescens, cum

---

10. *Ego Q. Max.* Ed. Orell. — *postquam consul p. f., ego v.* S. m. L. —

§. 9. *artes*] *ars* h. l. id dicitur, quod benefactis partum in homine remanet, ut Fin. II, 34: *Has maximas* a r t e s, *quibus qui carebant, inertes a majoribus nostris nominabantur.*

Cap. IV. §. 10. *Maximum*] sc. Fabium Cunctatorem, de quo videndus index hist.

colere] *colere*, h. l. est observare, graece θεραπεύειν.

donis et muneribus] dona atque munera voluntarie dantur et gratuito; differunt autem, quod illa sunt largitionis, haec benignitatis. Cfr. XII. 39.

grandis] i. e. grandaevus; cfr. VI. 16. Sic autem senem cum quadam veneratione appellamus.

plane grandis esset, et Hannibalem iuveniliter exsultantem patientia sua molliebat: de quo praeclare familiaris noster Ennius:

Unus homo nobis cunctando restituit rem:
Non enim rumores ponebat ante salutem.
Ergo postque magisque viri nunc gloria claret.

Tarentum vero qua vigilantia, quo consilio recepit! Cum 11
quidem, me audiente, Salinatori, qui, amisso oppido, fugerat in arcem, glorianti atque ita dicenti: *Mea opera, Q. Fabi, Tarentum recepisti: Certe,* inquit ridens: *nam nisi tu amisisses, numquam recepissem.* Nec vero in armis praestantior, quam in toga: qui consul iterum, Sp. Carvilio collega quiescente, C. Flaminio tribuno plebis, quoad potuit, restitit, agrum Picenum et Gallicum viritim contra senatus auctoritatem dividenti, augurque cum esset, dicere

---

non ponebat enim rum. v. S. V. m. M. L. P. 3. 1. W. —

exsultantem] i. e. liberius excurrentem, ut Sext. 4: *accusat eum, qui aliqua ex parte ejus furorem exsultantem repressit.*

molliebat] Veram hujus vocis significationem disces ex Flor. II. 6. de eodem bello dicente: *Per Samnium totum per Falernos Gauronosque saltus sic maceravit Hannibalem, ut, qui frangi virtute non poterat, mora comminueretur. Macerare aliquid* autem est, in aqua quippiam asservare, donec salsedinem aliumve saporem deponat.

Ergo postque magisque v. nunc] Sensus est: ergo et tunc post partam victoriam, et magis etiam nunc post obitum Fabii, gloria ipsius claret.

§. 11. *nam nisi tu amisisses*—] En duplex irrisio Salinatoris; nam non modo laudem ei nullam concedit, sed castigationem etiam adhibet.

in armis —— in toga] *in armis* non de telis, sed de vestitu accipiendum est militari, sicut *toga* de vestitu pacali, ut nos fere: im Panzer und im Friedensrock.

Carvilio —quiescente] Carvilius enim quievit, ne actionibus scilicet tribuni et plebis utilitati ipse plebejus adversaretur.

augurque] Augur minime su-

ausus est, optimis auspiciis ea geri, quae pro reipublicae salute gererentur; quae contra rempublicam ferrentur, con-
12 tra auspicia ferri. Multa in eo viro praeclara cognovi, sed nihil est admirabilius, quam quomodo ille mortem filii tulit, clari viri et consularis. Est in manibus laudatio: quam cum legimus, quem philosophum non contemnimus? Nec vero ille in luce modo atque in oculis civium magnus, sed intus domique praestantior. Qui sermo! quae praecepta! quanta notitia antiquitatis! quae scientia iuris augurii! Multae etiam, ut in homine Romano, litterae: omnia memoria tenebat, non domestica solum, sed etiam externa bella. Cuius sermone ita tum cupide fruebar, quasi iam divinarem id, quod evenit, illo exstincto, fore, unde discerem, neminem.

---

12. *extera bellà* E. —

perstitiosus de avium volatu non valde laborabat, sed ea optimis auspiciis fieri dicebat, quae essent reipublicae salutaria.

ferrentur] *ferre* h. l. idem valet, quod alias *suffragia ferre, iubere,* ut ad Attic. VII. 6: *Ut absentis ratio haberetur, ferebamus.* Ad verba *optim. auspic.* recte laudatur Hom. Il. μ, 243: εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης.

§. 12. *quam quomodo*] attractio more Graecorum pro *quam modus, quo* ut Caes. bell. Civ. I. 54: *imperat militibus Caesar, ut naves faciant, cujus generis eum superioribus annis usus Britanniae docuerat.* Confer etiam ibid. I. 36. II. 32. III. 15.

laudatio] oratio funebris, qua de more Romanorum laudes mortui a propinquis dicebantur.

est in manibus] vide infra XI. 38.

ut in homine Romano] *ut* h. l. est Graecum ὡς, habetque vim minuendi; sic enim non absolute, sed quoad genus quoddam spectetur, praedicamus, ut Nep. Ep. V. 2: *Habuit obtrectatorem Meneclidem quendam, indidem Thebis, et adversarium in administranda republica, satis exercitatum in dicendo, ut Thebanum scilicet.* idem Att. I. 2. *Patre usus est diligente, indulgente, et, ut tum erant tempora, diti.*

unde] *unde* paulo rarius ad personas refertur.

V. Quorsum igitur (haec) tam multa de Maximo? 13
Quia profecto videtis, nefas esse dictu, miseram fuisse talem senectutem. Nec tamen omnes possunt esse Scipiones, aut Maximi, ut urbium expugnationes, ut pedestres navalesve pugnas, ut bella a se gesta, ut triumphos recordentur. Est etiam quiete, et pure, et eleganter actae aetatis placida ac lenis senectus; qualem accepimus Platonis, qui uno et octogesimo anno scribens mortuus est; qualem Isocratis, qui eum librum, qui Panathenaicus inscribitur, quarto et nonagesimo anno scripsisse se dicit, vixit-

---

13. *haec* om. Cel. 1. v. g. — *atque eleganter* T. b. B. e. M. L.

Cap. V. §. 13. *profecto*] i. e. exemplo, re ipsa; est enim *profecto* compositum ex *pro* et *facto*.

Scipiones aut Maximi] Non de pluribus, sed de uno Scipione, Africano scilicet, et de uno Maximo, Fab. Cunctat., cogitandum est; poëtice enim *Scipiones* et *Maximi* pro *belli duces* positum est, quae vocatur metonymia. Confer VI. 15.

Pedestres] i e. terrestres, ut Liv. XXXVII. 53. *Pedestribus navalibusque copiis, ut nemo vestrorum sociorum me aequiparare posset, imperatores vestros adiuvi*: cfr. etiam Nep. Alcib. VIII. 1. Sic etiam vox *pes* voci *navis* opponitur, ut Caes. bell. civ. II. 23: *adpulsaque ad proximum littus trireme constrata et in littore relicta, pedibus Adrumetum profugerat.*

Quiete et pure et eleganter]. Hae voces quid h. l. significent, vel ex opposito intelligi potest. Opponitur enim vita otiosa negotiis publicis. Itaque *quiete* de immunitate belli et negotiorum, *pure* de animi tranquillitate, *eleganter* de vita in doctrinae elegantia atque studiis acta sumendum. Voces autem *elegans*, *eleganter*, *elegantia* de studiorum subtilitate usurpari, ex innumeris apud Cic. locis disces; de significatione vocabuli *pure* cfr. Horat. Ep. I. 103:

Quid minuat curas, quid te tibi
reddat amicum?
Quid pure tranquillet, honos,
an dulce lucellum,
An secretum iter et fallentis
semita vitae?

uno et octog.] *uno* pro *primo*; cfr. Zumpt. gramm. C. 29. §. 118.

que quinquennium postea: cujus magister, Leontinus Gorgias, centum et septem complevit annos, neque umquam in suo studio atque opere cessavit. Qui, cum ex eo quaereretur, cur tamdiu vellet esse in vita? *Nihil habeo,* inquit, *quod incusem senectutem.* Praeclarum responsum
14 et docto homine dignum! Sua enim vitia insipientes et suam culpam in senectutem conferunt. Quod non faciebat is, cuius modo mentionem feci, Ennius,

Sicut fortis equus, spatio qui saepe supremo
Vicit Olympia, nunc senio confectu' quiescit.

Equi fortis et victoris senectuti comparat suam: quem quidem probe meminisse potestis. Anno enim undevicesimo post eius mortem, hi consules, T. Flamininus et M. Acilius, facti sunt: ille autem Caepione et Philippo iterum, consulibus, mortuus est: cum ego quidem, v et LX annos natus, legem Voconiam voce magna et bonis lateribus suasissem. Annos LXX natus — tot enim vixit Ennius — ita ferebat duo, quae maxima putantur, onera, paupertatem et senectutem, ut eis paene delectari videretur. — —
15 Etenim, cum contemplor animo, reperio quattuor causas, cur senectus misera videatur: unam, quod avocet a rebus gerendis; alteram, quod corpus faciat infirmius; tertiam,

---

15. *complector animo* E. b. B. e. v. S. V. m. M.'L.

§. 14. *vicit Olympia*] de hac structura Graec. adi Zumpt. c. 71. §. 383.

quem quidem meminisse] *meminisse* h. l. recte cum Accusat. struitur; est enim idem ac *vidisse*. Adi Zumpt. c. 73. §. 440.

hi consules] i. e. hujus anni consules.

paene] *paene* loco positum est, quum augetur; *fere* autem, quod paulo infra, vim habet proximandi. cfr. Phil. II. 39. *quemadmodum illinc abieris, vel potius* p a e n e *non abieris, scimus.*

§. 15. *Etenim*] *etenim*, ut *enim* et *nam* saepe locum habet in narrationis vel disputationis promissae initio.

quod privet omnibus fere voluptatibus; quartam, quod haud procul absit a morte. Earum, si placet, causarum quanta quamque sit iusta unaquaeque, videamus.

Capit. VI. VII. VIII.

Iam primum crimen senectutis multis clarissimorum virorum exemplis, qui senes consilio et auctoritate rempublicam saepe defenderint, imprimis App. Claudi Caeci refellit; atque ostendit, propter hanc ipsam senectutis prudentiam et dignitatem apud Romanos et Lacedaemonios summum consilium e senibus lectum esse appellatumque senatum. Nec minus a cura rei familiaris et studiis senectus non abstrahit; de quo rusticos Romanos ac multos viros doctos nominat: quin etiam addiscere senes aliquid interdum, demonstrat, Solonis et suo ipsius exemplo.

VI. A rebus gerendis senectus abstrahit? Quibus? an iis, quae in iuventute geruntur et viribus? Nullaene igitur res sunt seniles, quae, vel infirmis corporibus, animo tamen administrentur? Nihil ergo agebat Q. Maximus? nihil L. Paullus, pater tuus, Scipio, socer optimi viri, filii mei? ceteri senes, Fabricii, Curii, Coruncanii, cum rempublicam consilio et auctoritate defendebant, nihil agebant? Ad App. Claudii senectutem accedebat etiam, 16

---

fere om. B. e. *atque hanc* v. S. V. Grut. 3. 1.

Cap. VI. *an iis*] Pars prior hujus interrogationis disjunctivae supplenda est, in qua quidem propter praecedentem interrogationem sententia vel aliena vel contraria adjiciatur. Hujusmodi exempla habes apud Cic. Off. I. 15. *Quidnam beneficio provocati facere debemus? An imitari agros fertiles, qui multo plus efferunt, quam acceperunt?* i. e.: num aliud facere debemus, an imit. etc.; Virg. Eclog. 3. 1.: *Dic mihi, Damoeta, cujum pecus? an Meliboei?* i. e. num alius cujusdam est, an Melib.? cfr. Zumpt. gramm. c. 67. §. 353.

filii mei] de Catonis filio vide ind. hist. voc. Cato.

§. 16. *accedebat*, ut] vide Zumpt. c. 80. §§. 621. 622.

ut caecus esset: tamen is, cum sententia senatus incli-naret ad pacem et foedus faciendum cum Pyrrho, non dubitavit dicere illa, quae versibus persecutus est Ennius:

Quo vobis mentes, rectae quae stare solebant
Antehac, dementes sese flexere?

ceteraque gravissime: notum enim vobis carmen est; et tamen ipsius Appii exstat oratio. Atque haec ille egit septem et decem annis post alterum consulatum, cum inter duos consulatus anni decem interfuissent, censorque ante consulatum superiorem fuisset, ex quo intelligitur, Pyrrhi bello grandem sane fuisse: et tamen sic a patri-
17 bus accepimus. Nihil igitur afferunt, qui in re gerenda versari senectutem negant, similesque sunt, ut si qui gubernatorem in navigando nihil agere dicant, cum alii malos scandant, alii per foros cursent, alii sentinam ex-

---

16. *Prosecutus est* E. B. — *est, tum ipsius* W. Urs. Facciol.

mentes — — dementes] est Oxymorum; quo quidem sententia tam acute et affectate enunciatur, ut paene fatua videatur. Talia sunt Horatiana illa: *insaniens sapientia, strenua inertia.*

Atque haec] *atque* habet h. l. quandam vim adversandi, quam eandem *ac tamen*, nos gleichwohl, ut Sallust. Iug. 4.: *ceterum ex aliis negotiis, quae ingenio exercentur, in primis magno usui est memoria rerum gestarum. Atque ego credo fore, qui, quia decrevi procula republica aetatem agere, tanto tamque utili labori meo nomen inertiae imponant; Terent. Andr.* 5. 1. 22. *et nescio quid tibi sum oblitus: ac volui dicere.* Confer etiam, quae infra ad XIV. 50. diximus.

post alterum consulatum]. Antiquis enim reipublicae temporibus neminem civium Romanorum, qui annis XLIII *minor* esset, consulem creari licebat.

superiorem] i. e. priorem, ut in Cat. I. 6. 14.: *cum morte superioris uxoris novis nuptiis domum vacuefecisses.*

§. 17. *Similesque sunt, ut si*] insolentius dictum pro *similesque sunt iis, qui* etc. Cfr. Off. I. 25. 87.; Tusc. IV. 18. Divin. II. 64. 131.

hauriant, ille autem clavum tenens sedeat in puppi quietus. Non facit ea, quae iuvenes: at vero multo maiora et meliora facit. Non viribus, aut velocitatibus, aut celeritate corporum res magnae geruntur; sed consilio, auctoritate, sententia: quibus non modo non orbari, sed etiam augeri senectus solet. Nisi forte ego vobis, qui et 18
miles, et tribunus, et legatus, et consul versatus sum in vario genere bellorum, cessare nunc videor, cum bella non gero. At senatui, quae sunt gerenda, praescribo, et quomodo: Karthagini, male jam diu cogitanti, bellum multo ante denuntio; de qua vereri non ante desinam, quam illam excisam esse cognovero. Quam palmam utinam dii immortales tibi, Scipio, reservent, ut avi reliquias 19
persequare! cujus a morte hic quintus et tricesimus est annus: sed memoriam illius viri excipient omnes anni consequentes. Anno ante me censorem mortuus est, decem annis post meum consulatum, cum consul iterum, me consule, creatus esset. Num igitur, si ad centesimum annum vixisset, senectutis eum suae poeniteret? Nec enim excursione, nec saltu, nec eminus hastis, aut cominus gla-

---

17. *ille (autem)*] Ed. Orell. *autem* om. R.

velocitatibus aut celeritate] *celeritas* naturae est et temeritatis, *velocitas* exercitationis et artis, ut Divin. II. 70: *Celeritas et vis equorum*; Off. I. 36: *cavendum est, ne in festinationibus suscipiamus nimias celeritates*; Somn. 9: *sunt autem optimae curae de salute patriae, quibus agitatus et exercitatus animus velocius in hanc aedem et domum suam pervolabit*; Tacit. Germ. c. 30: *Equestrium sane virium id proprium, cito parare victoriam, cito cedere. Velocitas juxta formidinem, cunctatio propior constantiam est.*

§. 18. *et miles et trib.*] de Catonis stipendiis vid. ind. hist.

§. 19. *avi reliquias*] i. e. Africani; bellum Pun. sec. intelligit, de quo index hist. in voc. Scip.

excursione, saltu etc.] Ambulatio, decursio sive excursio, saltus, natatio, palaria varia sunt armaturae genera. In decursione milites cum sarcinis et sub signis per spatium quater mille

diis uteretur; sed consilio, ratione, sententia. Quae nisi essent in senibus, non summum consilium maiores nostri
20 appellassent senatum. Apud Lacedaemonios quidem ii, qui amplissimum magistratum gerunt, ut sunt, sic etiam nominantur senes. Quod si legere aut audire voletis externa, maximas respublicas ab adolescentibus labefactas, a senibus sustentatas (et restitutas) reperietis.

Cedo, qui vestram rempublicam tantam amisistis tam cito?

Sic enim percontantur, ut est in Naevii Ludo: Respondentur et alia, et haec in primis:

Provehebantur ad res novi, stulti adolescentuli.

Temeritas est videlicet florentis aetatis, prudentia senescentis. — —

21 VII. At memoria minuitur. Credo, nisi eam exerceas, aut si sis natura tardior. Themistocles omnium civium nomina perceperat: num igitur censetis eum, cum aetate processisset, qui Aristides esset, Lysimachum salutare solitum? Equidem non modo eos novi, qui sunt; sed eorum patres etiam

---

20. Vulgo: *Proveniebant oratores novi, stulti, adolescentuli.* — 21. *Aut etiam si*, E. Alii Codd. v. V. m. M. L. P.

passuum decurrebant, in saltu fossam aut palum transiliebant, in palaria palum gladiis aut hastis petebant.

consilio, ratione] vide infra ad XII. 41. XIX. 67. XI. 36.

§. 20. *cedo,*] *cedo*, quemadmodum *age*, etiam Plurali adjungitur. Cfr. ad VII. 24.

Naevii ludo] vid. ind. hist. voc. Naevius.

Provehebantur etc.] Hanc pro vulgata lectione ex Lambini cod. recepit Gernh. Male! nam neque metro convenit haec lectio, quippe duabus syllabis brevior, neque meliorem sensum praebet, quam vulgata, in qua, commate post *stulti* deleto, nihil erit, quod offendat. De metro autem adi Zumpt. gram. append. §. 822.

Cap. VII. §. 21. *At mem.*] *At* est objicientis, ut passim in hoc libro.

et avos. Nec sepulcra legens vereor, quod aiunt, ne memoriam perdam: his enim ipsis legendis redeo in memoriam mortuorum. Nec vero quemquam senum audivi oblitum, quo loco thesaurum obruisset. Omnia, quae curant, meminerunt: vadimonia constituta; qui sibi, quibus ipsi debeant. Quid iurisconsulti? quid pontifices? quid augures? 22
quid philosophi senes? quam multa meminerunt! Manent ingenia senibus, modo permaneat studium et industria: nec ea solum in claris et honoratis viris, sed in vita etiam privata et quieta. Sophocles ad summam senectutem tragoedias fecit: quod propter studium cum rem familiarem negligere videretur, a filiis in iudicium vocatus est, ut, quemadmodum nostro more male rem gerentibus patribus bonis interdici solet, sic illum, quasi desipientem, a re familiari removerent iudices. Tum senex dicitur eam fabulam, quam in manibus habebat, et proxime scripserat, Oedipum Coloneum recitasse iudicibus, quaesisseque, num illud carmen desipientis videretur. Quo recitato, sententiis iudicum est liberatus. Num igitur hunc, num Homerum, num Hesiodum, 23

---

sepulcra leg.] h. e. inscriptiones sepulcrorum; quas quidem Cato ad conficiendos Originum libros conferebat. Vulgo autem putabatur, officere memoriae, si quis legeret inscriptiones sepulcrorum.

quae curant] h. e. quae eis cordi sunt.

vadimonia const.] Nam qui die constituto in judicio non aderat, litem perdebat.

§. 22. *ingenia*] mentis vires; quamquam etiam pro memoria usurpatur *ingenium*, ut: Rull. III. 2.: *Quem vestrum tam tardo ingenio fore putavit, cui post eos consules Sullam dictatorem fuisse in mentem venire non possit.*

rem gerent.] vid. supra I. 1.

quasi desipientem] *quasi* h. l. ut graecum ὡς, ad participium additur, quia non ex sua mente hoc dicit scriptor, sed filiorum.

in manibus habebat] vid. XI., 38.

§. 23. *num igitur hunc, num Hom. etc.*] Interrogationi ad negationem inclinanti Interrogativa *num*, *numne* praemittuntur. cfr. Zumpt. gramm. c. 67. §. 361. adnotat.

num Simonidem, num Stesichorum; num, quos ante dixi, Isocratem, Gorgiam; num philosophorum principes, Pythagoram, Democritum, num Platonem, num Xenocratem, num postea Zenonem, Cleanthem, aut eum, quem vos etiam Romae vidistis, Diogenem Stoicum, coëgit in suis studiis obmutescere senectus? an in omnibus his studiorum agi-
24 tatio vitae aequalis fuit? Age, ut ista divina studia omittamus, possum nominare ex agro Sabino rusticos Romanos, vicinos et familiares meos, quibus absentibus numquam fere ulla in agro maiora opera fiunt, non serendis, non percipiendis, non condendis fructibus. Quamquam in illis minus hoc mirum; nemo enim est tam senex, qui se annum non putet

---

23. Alii leg. cum Gernh. *an non in omnibus.* — 24. *ut* om. v. S. M. L. — *Romanos* om. v. S. m.

an in omnibus] Recte Handius Tursellin. Vol. I. p. 339. cum Beiero, Gernhardum, nulla prioris interrogationis ratione habita, e codd. *an non* rescripsisse queritur. Quam si habuisset, sensisset. V. D., *an* prae *an non* probandum esse, quippe cujus vis ea esset, ut vel alienam vel contrariam sententiam priori interrogationis parti adjiceret. Atqui prior interrogatio, incipiens ab Interrogativo *num*, in negatione occupatur. Ex quo intelligitur, interrogationi posteriori vim inesse affirmandi, atque alienam ab hoc loco negationem. Cfr. Legg. II. 2. 5: *Numquid duas habetis patrias? an est una illa patria communis?* cfr. etiam de Orat. 1. 58. 249. de Fin. II. 31. 102. Quibus in locis omnibus *an* est pro *an potius.*

§. 24. *age*] *age* etiam primae et secundae Pluralis additur, praesertim in transitionibus, ut Divin. I. 23. 45: *age, nunc ad externa redeamus!* Plaut. Asin. V. 1. 7: *Age ergo hoc agitemus convivium vino et sermone suavi!* Cic. Mil. 21. 55: *Age nunc, iter expediti latronis cum Milonis impedimentis comparate.*

quibus absentibus]. Si minus, ut Quintius c. 16., ipsi arant, non tamen, nisi se praesentibus, a servis majora certe opera fieri volunt, quorum quidem cura plus habet et delectationis et utilitatis.

posse vivere: sed iidem elaborant in eis, quae sciunt nihil omnino ad se pertinere:

Serit arbores, quae alteri saeculo prosint,

ut ait Statius noster in Synephebis. Nec vero dubitet agri- 25
cola, quamvis senex, quaerenti, cui serat, respondere: *Diis immortalibus, qui me non accipere modo haec a maioribus voluerunt, sed etiam posteris prodere.*

VIII. Melius Caecilius de sene alteri saeculo prospiciente, quam illud idem:

Aedepol senectus, si nihil quidquam aliud vitî
Apportes tecum, cum advenis; unum id sat est,
Quod diu vivendo multa, quae non volt, videt.

Et multa fortasse, quae vult! atque in ea quidem quae non vult, saepe etiam adolescentia incurrit. Illud vero idem Caecilius vitiosius:

Tum equidem in senecta hoc deputo miserrimum,
Sentire, ea aetate esse se odiosum alteri.

---

laborant. v. S. V. m. L. — *prosient* margo Regii, quemadmodum volebat Herm., ut sit versus Creticus. — 25. *Edepol* Ed. Orell. — *vitii* vulgo.

§. 25. *Synephebi*] de hac fabula ind. hist. voc. Statius.

quamvis senex]. Non ad *dubitet*, sed ad *serat* hae voces referendae sunt.

prodere] i. e. tradere, relinquere, ut Q. Fr. I. 1: *Gloria tua tibi est communicanda mecum et p r o d e n d a liberis nostris.*

Cap. VIII. *vitî*]. Sine dubio scribendum cum Orellio *vitî*. Cfr. I. 1.

atque] duae sententiae, quibus duae res aequiparantur, per particulam *ac*, *atque* necti solent; nos dicimus und eben so, ut Lael. IX. 30.: *Africanus indigens mei? Minime hercle. Ac ne ego quidem illius.* Terent. Hecyr. V. 4. 18:

Pamph. *Antiquam adeo tuam venustatem obtines.*
Bacch. *Ac tu ecastor morem antiquum atque ingenium obtines.*

adolescentia] cave pro Concreto *adolescentes* positum putes, ut infra §. 26. *juventus* pro juvenibus. Cfr. Zumpt. Syntax. ornat. c. 84. §. 675.

26 Iucundum potius, quam odiosum! Ut enim adolescentibus bona indole praeditis sapientes senes delectantur, leviorque fit eorum senectus, qui a iuventute coluntur et diliguntur: sic adolescentes senum praeceptis gaudent, quibus ad virtutum studia ducuntur. Nec minus intelligo me vobis, quam vos mihi esse iucundos. Sed videtis, ut senectus non modo languida atque iners non sit, verum etiam sit operosa et semper agens aliquid et moliens; tale scilicet, quale cuiusque studium in superiore vita fuit. Quid, quod etiam addiscunt aliquid? ut Solonem versibus gloriantem videmus, qui se, quotidie aliquid addiscentem, senem fieri dicit; ut ego feci, qui Graecas litteras senex didici: quas quidem sic avide arripui, quasi diuturnam sitim explere cupiens, ut ea ipsa mihi nota essent, quibus me nunc exemplis uti videtis. Quod cum fecisse Socratem in fidibus audirem, vellem equidem et illud — discebant enim fidibus antiqui — sed in litteris certe elaboravi.

Capitt. IX. X. XI. XII.

Falsam etiam de virium in senectute defectione querelam esse dicit. Primum enim stultum esse et nugatorium, senem desiderare vires adolescentis, quippe cujus munus totum fere ingenii sit,

26. *est eorum* E. T. b. M. P. — om. *sit*. b. l. L. prob. Herm. — *etiam illud*. R. E. b. l. Guelf. Ascens. L. P. probb. Herm. et Mull. — *laboravi* E. v. b.

26. *Solon. versibus glor.*] Versiculus est: γηράσκω δ' αἰεὶ πολλὰ διδασκόμενος.

discebant enim fidibus] sc. canere, ut Terent. Eun. I. 2. 53: *fidibus scire*.

certe] *saltem*, ut passim. Cfr. Zumpt. c. 62. §. 264. adnot.

elaboravi] Verba *laborare* et *elaborare* significatione et rectione inter se differunt. *Laborare* enim nunquam transitive adhibetur, *elaborare* saepissime. Significationis discrimen autem in eo positum est, quod *laborare* de sola virium exercitatione atque contentione dicitur, nullo ad eventum habito respectu; *elaborare* autem cum ratione fructus atque eventus. Cfr. VII. 24.

eoque jucundius, ut in orationibus habendis, in praescribendis legibus, in docenda juventute. Deinde ne verum quidem esse, senectutem per se ipsam esse imbecilliorem; contra multos inveniri senes, qui exercitatione et temperantia aliquid etiam conservaverint pristini roboris. Tales Nestorem, Masinissam ipsumque se nominat. Denique si omnino vires negentur in senectute; ne postulari quidem eas; illam enim aetatem legibus et institutis vacare omni eo munere, quod sine corporis viribus sustineri non possit. Jam vero praecepta dat, suumque et Appii exemplum affert, qua ratione corpori et animo subveniendum sit a sene, vitiisque senectutis resistendum.

IX. Nec nunc equidem vires desidero adolescentis; — 27
is enim erat locus alter de vitiis senectutis — non plus, quam adolescens tauri, aut elephanti desiderabam. Quod est, eo decet uti, et, quidquid agas, agere pro viribus. Quae

---

27. *Ne nunc* L. 1. — *quidem* Ed. Orell. — *etiam vires tauri* v. S. m. E. *vires* supra *tauri* scriptum habet. — *elephantis* T. b. B. v. V. m. —

Cap. IX. §. 27. *locus*] In disputationibus philosophicis saepissime certum aliquod caput sive argumentum disputationis *locus* dicitur, ut Orat. 33. *nec vero dialecticis modo sit instructus sed habeat omnes philosophiae notos et tractatos l o c o s*; et passim in Cic.

nonplus] *non plus* differt a *non magis*, quod illud quemadmodum *nihil* pro *non*, majore cum vi adhibetur, ut Att. VIII. 24: *Cave putes hoc tempore p l u s me quemquam cruciari*; ibid. VI. 2. *Pompejum p l u s p l u s q u e in dies diligo*.

Quod est, eo decet uti] i. e. quod adest, eo etc., τὸ πὰρὸν εὖ θέσθαι, ut Graeci dicunt.

quidquid agas] Modum *agas* cave e Relativo *quidquid* pendere putes; Conjunctivum poscit incerta Subjecti ratio; ut Caes. bell. civ. I. 87: *Quascunque postea controversias inter se milites h a b u e r i n t, sua sponte ad Caesarem in jus adierunt*. Cfr, quae docet Heldius ad Caes. bell. Civ. II. 18, bell. Gall. III. 22; IV. 1. Ad hanc normam etiam revocandus Conjunctivi usus in narrationibus, de quo Zumpt. gramm. c. 78. §. 569. Cfr etiam Grae-

enim vox potest esse contemtior, quam Milonis Crotoniatae? qui, cum iam senex esset, athletasque se in curriculo exercentes videret, adspexisse lacertos suos dicitur, illacrymansque dixisse: *At hi quidem iam mortui sunt.* Non vero tam isti, quam tu ipse, nugator! neque enim ex te umquam es nobilitatus, sed ex lateribus et lacertis tuis. Nihil S. Aelius tale, nihil multis annis ante Ti. Coruncanius, nihil modo P. Crassus, a quibus iura civibus praescribebantur: quorum usque ad extremum spiritum est provecta prudentia. Orator, metuo, ne languescat senectute: est enim munus eius
28 non ingenii solum, sed laterum etiam et virium. Omnino canorum illud in voce splendescit etiam, nescio quo pacto, in senectute: quod equidem adhuc non amisi; et videtis annos. Sed tamen decorus est sermo senis, quietus et remis-

---

28. *at tamen dec.* v. S. m. —

corum, ὅστις ἄν, ὅς ἄν, ὅσος ἄν etc.

at hi] *At* h. l. pathetice positum est ad dolorem in exclamatione significandum, ut Caton. Dir. 125: *At mihi tabescunt morientia membra dolore;* Plaut. Mil. III. 1. 22. *At hoc me facinus miserum macerat.*

hi quidem] Quum in oratione vox aliqua intendenda est atque insignienda, eleganter particula *quidem* adjicitur, inprimis ad Demonstrativa et Relativa; quibus addita idem valet, quod Graecae particulae γέ, πέρ; da, eben, gerade, ja, ut infra XIV. 50: *Atque haec quidem studia doctrinae,* i. e. ταῦτά γε; XI. 35. *At id quidem non proprium senectutis est,* i. e. τοῦτό γε; XVI. 55: *cujus quidem villam contemplans — abest enim* etc. i. e. οὗπερ; et supra V. 14: *quem quidem probe meminisse potestis,* i. e. ὅνπερ etc.; *cum quidem, me audiente, Salinatori* etc. ubi nos, als er gerade. Cfr. etiam XV. 53. XXIII. 83. XII. 41.

isti] Confer II. 6.

nugator] homo, qui res curat, quae leves sunt ac nihili.

laterum et virium] latera eae vires dicuntur, quas in pulmonum contentione cernimus, ut in cantando, in currendo.

§. 28. *omnino*] h. l. idem est

sus, facitque persaepe ipsa sibi audientiam diserti senis com-
ta et mitis oratio. Quod si ipse exsequi nequeas, possis ta-
men Scipioni praecipere et Laelio. Quid enim iucundius
senectute stipata studiis iuventutis? An ne eas quidem vi- 29
res senectuti relinquemus, ut adolescentulos doceat, instituat,
ad omne officii munus instruat? quo quidem opere quid
potest esse praeclarius? Mihi vero Cn. et P. Scipiones, et
avi tui duo, L. Aemilius et P. Africanus, comitatu nobilium
iuvenum fortunati videbantur: nec ulli bonarum artium magi-
stri non beati putandi, quamvis consenuerint vires atque de-
fecerint. Etsi ista ipsa defectio virium adolescentiae vitiis
efficitur saepius, quam senectutis: libidinosa etenim et in-
temperans adolescentia effoetum corpus tradit senectuti. Cy- 30
rus quidem apud Xenophontem eo sermone, quem moriens
habuit, cum admodum senex esset, negat se umquam sen-
sisse, senectutem suam imbecilliorem factam, quam adole-
scentia fuisset. Ego L. Metellum memini puer — qui cum
quadriennio post alterum consulatum pontifex maximus fac-
tus esset, viginti et duos annos ei sacerdotio praefuit — ita
bonis esse viribus extremo tempore aetatis, ut adolescentiam

---

quam si B. E. T. b. cum plerisque Codd. M. L. P. Sententia est: quodsi ipse ejusmodi oratione sapientia consilia exsequi non queas etc. Nec video, cur dicere non liceat: orationem exsequi. Orell.

ac *in universum*, ut Off. I. 25: *Omnino, qui reipublicae praefuturi sunt, duo praecepta Platonis teneant.*

annos] emphatice, pro *grandem aetatem.*

sed tamen] Cfr. I. 2.

quietus et remissus] non contentiosus et paulo dissolutior.

studiis juventutis] i. e. a studiosa discendi juventute. Erat enim moris Romani, ut, sumta toga virili, nobilior juventus ad senes, praesertim auctoritate conspicuos, conveniret, ad jus et artem oratoriam discendam.

bonis esse viribus] Cfr. Zumpt. gramm. c. 80. §. 589.

non requireret. Nihil necesse est mihi de me ipso dicere: quamquam est id quidem senile; aetatique nostrae conceditur.

31 X. Videtisne, ut apud Homerum saepissime Nestor de virtutibus suis praedicet? Tertiam enim iam aetatem hominum vivebat; nec erat ei verendum, ne, vera de se praedicans, nimis videretur aut insolens, aut loquax. Etenim, ut ait Homerus, ex eius lingua melle dulcior fluebat oratio. Quam ad suavitatem nullis egebat corporis viribus; et tamen dux ille Graeciae nusquam optat, ut Aiacis similes habeat decem, at ut Nestoris: quod si acciderit, non dubitat, quin brevi Troia sit peritura. Sed redeo ad me. Quartum annum ago et octogesimum: equidem posse vellem idem gloriari, quod Cyrus; sed tamen hoc queo dicere, non me quidem iis esse viribus, quibus aut miles bello Punico, aut quaestor eodem bello, aut consul in Hispania fuerim, aut quadriennio
32 post, cum tribunus militaris depugnavi apud Thermopylas, M'. Acilio Glabrione consule: sed tamen, ut vos videtis, non

---

31. *ille dux* v. S. V. m. L. — *vos* om. b. M. L. P. —

32. *in eodem* S. m. L. —

Cap. X. §. 31. *aetatem — vivebat*] de hoc Intransitivorum usu vide Zumpt. gr. c. 71. §. 384.

nimis aut insolens aut loq.] Comparativus minuens periphrastice pro *insolentior* aut *loquacior*, ubi nos: ein wenig, etwas. Sic infra XVI. 55: *senectus est natura loquacior.*

melle dulcior] Hom. Iliad. α. 249: Τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή.

at ut] *at* pro *sed*, a quo tamen discernitur oppositione distinctiori; sic Cic. Acad. II. 11. 56: *Non cognoscebantur foris, at domi; non ab alienis, at a suis.*

similes] cfr Zumpt. c. 72. §. 411. adnot. 2. c.

§. 32. *depugnavi*] *depugnare* de acri pugna vel de duorum certamine singulari usurpatur, ut Tusc. IV. 22: *sine gladiatoria iracundia videmus progredientem apud Homerum Ajacem, quum depugnaturus esset cum Hectore.* Fin. II. 22: *Torquatus cum Gallo depugnavit.* Cfr etiam Att. XVI. 11.

plane me enervavit, nec afflixit senectus: non curia vires meas desiderat, non Rostra, non amici, non clientes, non hospites. Nec enim umquam sum assensus veteri illi laudatoque proverbio, quod monet, mature fieri senem, si diu velis esse senex. Ego vero me minus diu senem esse mallem, quam esse senem ante, quam essem. Itaque nemo adhuc convenire me voluit, cui fuerim occupatus. —— At minus habeo virium, quam vestrum utervis! Ne vos quidem T. Pontii 33
centurionis vires habetis: num idcirco est ille praestantior? Moderatio modo virium adsit, et tantum, quantum potest, quisque nitatur; nae ille non magno desiderio tenebitur virium. Olympiae per stadium ingressus esse Milo dicitur, cum humeris sustineret bovem vivum: utrum igitur has corporis, an Pythagorae tibi malis vires ingenii dari? Denique isto bono utare, dum adsit; cum absit, ne requiras: nisi forte adolescentes pueritiam, paullum aetate progressi adolescentiam debent requirere. Cursus est certus aetatis, et una via naturae, eaque simplex; suaque cuique parti aetatis tempestivitas est data: ut et infirmitas puerorum, et ferocitas iuvenum, et gravitas iam constantis aetatis, et senectutis matu-

---

valuit, quin m. M. L. *voluit, quin* b. Alii. v. S. v. P. — 33. om. *vivum* m. M. L. P. — *debeant* v. S. V. m. 3. 1. 2.

cui fuerim occupatus] cui me excusaverim propter occupationes seu veras seu fictas.

§. 33. *T. Pont. centurionis*] T. Pontius ille quis fuerit, nihil constat; de centurione autem ita praecipit Veget. II. 14: *Centurio eligendus est, qui sit magnis viribus et procera statura.*

Pythagorae] Hunc potissimum Miloni opponit, utpote qui cum Milone Crotonae vixerit.

isto] Cfr. I. 2.

tempestivitas] Est tempestivitas cujuslibet aetatis naturalis proprietas, sicut in ordine anni veris tempestivitati flores, aestatis messes, auctumni maturitas, hiemis frigus datum et assignatum a natura est.

constans aet.] opponitur mobili aetati.

ritas naturale quiddam habeat, quod suo tempore percipi de-
34 beat. Arbitror te audire, Scipio, hospes tuus avitus, Masinissa, quae faciat hodie, nonaginta annos natus: cum ingressus iter pedibus sit, in equum omnino non adscendere, cum equo, ex equo non descendere; nullo imbre, nullo frigore adduci, ut capite operto sit; summam in eo esse corporis siccitatem; itaque exsequi omnia regis officia et munera. Potest igitur exercitatio et temperantia etiam in senectute conservare aliquid pristini roboris.

XI. Non sunt in senectute vires? Ne postulantur quidem vires a senectute. Ergo et legibus et institutis vacat aetas nostra muneribus iis, quae non possunt sine viribus sustineri. Itaque non modo, quod non possumus, sed ne quan-
35 tum possumus quidem, cogimur. — — At ita multi sunt imbecilli senes, ut nullum officii, aut omnino vitae munus exsequi possint! At id quidem non proprium senectutis est vitium, sed commune valitudinis. Quam fuit imbecillus P.

---

§. 34. *siccitas corporis*] *siccitas corporis* de duritie et rigore cutis in corpore humano intelligenda est. Cfr. Catull. carm. XXIII: *Atqui corpora s i c c i o r a cornu*
Aut si quid magis aridum est habetis,
Sole et frigore et esuritione.

munera et officia] *officia* homini a natura, *munera* vel ratione, vel hominum consensu imponuntur: Cfr. Orat. I. 45: *Honoribus et reipublicae m u n e r i b u s perfunctus senex.* Inv. II. 2: *Pietas, quae erga patriam aut parentes aut alios sanguine conjunctos of f i c i u m conservare moneat.*

Cap. XI. §. 35. *Ergo*] *Ergo* incoeptivum pathetice ponitur aut in hortatione, aut indignatione, aut dolore. Hoc quidem loco indignationem significat.

vacat] Lex enim erat Romanis, ne quis legitimo stipendiorum numero rite peracto, militare cogeretur, si annum XLVI complevisset.

legibus et institutis] *instituta* usu et consuetudine, *leges* sententia et suffragiis firmantur. Cfr. Brem. ad Nep. praef. 3.

Africani filius is, qui te adoptavit! quam tenui, aut nulla potius valitudine! Quod ni ita fuisset, alterum ille exstitisset lumen civitatis; ad paternam enim magnitudinem animi doctrina uberior accesserat. Quid mirum igitur in senibus, si infirmi sunt aliquando, cum id ne adolescentes quidem effugere possint? Resistendum, Laeli, et Scipio, senectuti est, eiusque vitia diligentia compensanda sunt! Pugnandum, tamquam contra morbum, sic contra senectutem. Habenda ratio valitudinis; utendum exercitationibus modicis; tantum cibi et potionis adhibendum, ut reficiantur vires, non opprimantur. Nec vero corpori soli subveniendum est, sed menti 36
atque animo multo magis: nam haec quoque, nisi tamquam lumini oleum instilles, exstinguuntur senectute. Et corpora quidem exercitatione ingravescunt: animi autem se exercendo levantur. Nam quos ait Caecilius — *comicos stultos senes*: hos significat credulos, obliviosos, dissolutos; quae vitia sunt non senectutis, sed inertis, ignavae, somniculosae

---

35. *quod nisi* v. S. m. L. P. — 36. *sed etiam* B. v. S. m. —

ni ita] solet ante *ita* poni *ni* pro *nisi*.

§. 36. *nec soli — sed*] Cfr. I. 1.

menti atque animo] *Mens* pars est *animi*, eaque praestantior, cujus virtutes sunt docilitas, memoria, prudentia, temperantia, fortitudo, justitia. Cfr. Cic. Fin. V. 17. Nostro autem loco *animus* de constantia, *mens* de intelligentia accipienda est, ut Off. I. 30: *hominis mens discendo alitur et cogitando, semper aliquid anquirit, aut agit, videndique et audiendi delectatione ducitur;* ibid. I. 27: *falli, errare, labi, decipi tam dedecet, quam delirare et mente esse captum.* Att. XV. 15: *Nec tam animum me, quam stomachum non habere arbitrantur.*

corpora — ingravescunt] i. e. affliguntur. Nam quae crescunt, gravitate sua ad terram feruntur. Cfr. II. 6.

levantur] i. e. eriguntur.

comicos] quales inducuntur in scenam ad risum movendum.

significat] i. e. facit.

inertis — ignavae] *ignavus* dicitur, qui naturae vitio, *iners*, qui propter animi socordiam non est faciendo operi.

senectutis. Ut petulantia, ut libido magis est adolescentium, quam senum; nec tamen omnium adolescentium, sed non proborum: sic ista senilis stultitia — quae delira-
37tio appellari solet — senum levium est, non omnium. Quatuor robustos filios, quinque filias, tantam domum, tantas clientelas Appius regebat et senex, et caecus: intentum enim animum, tamquam arcum, habebat, nec languescens succumbebat senectuti. Tenebat non modo auctoritatem, sed etiam imperium in suos: metuebant servi, verebantur liberi, carum omnes habebant; vigebat in illa domo patrius mos et
38disciplina. Ita enim senectus honesta est, si se ipsa defendit, si ius suum retinet, si nemini emancipata est, si usque ad extremum spiritum dominatur in suos. Ut enim adolescentem, in quo senile aliquid; sic senem, in quo est adolescentis aliquid, probo; quod qui sequitur, corpore senex esse poterit, animo numquam erit. Septimus mihi Originum liber est in manibus; omnia antiquitatis monumenta col-

---

probatorum v. Sed cfr. Off. III. 8. 4. laudat Klein p. XII. — 38. *mancipata* R. E. T. b. B. v. m. M. prob. Mosero, ex constante usu Gaïi.

deliratio] a re rustica translata. Plin. XVIII. 20: *Hoc quoque, ubi consuetudo patitur, crate dentata, vel tabula aratro adnexa, quod vocant lirare opperientes semina, unde primum appellata deliratio est.*

§. 37. *robustos*] adultos, puberes.

metuebant — verebantur] eos, qui auctoritate pollent, *veremur; metuuntur*, qui minantur ultionem. cfr. Afran. apud. Gell. N. A. XV. 13: *Ubi malunt metui, quam vereri se ab suis.*

§. 38. *si nemini emancipata est*] Gernh. cum aliis lectionem *emancipata* tuetur. Male! Nam *mancipare*, — est autem optimorum librorum lectio — solenne erat in venditionibus vocabulum de cessione juris, cui recte *jus suum retinere* nostro loco opponitur; sic Tacit. Ann. I. 73: *Objiciebat accusator, quod venditis hortis statuam Augusti simul mancipasset;* Quintil. VI. 3. 44. *Omnes possessiones Brutus vendiderat, et cum paterna mancipasset praedia, turpis habebatur.*

est in manibus] *in manibus esse* dicitur de eo libro, qui ubique

ligo; causarum illustrium, quascumque defendi, nunc cum maxime conficio orationes; ius augurum, pontificum, civile tracto; multum etiam Graecis litteris utor; Pythagoreorumque more exercendae memoriae gratia, quid quoque die dixerim, audierim, egerim, commemoro vesperi. Hae sunt exercitationes ingenii, haec curricula mentis; in his desudans atque elaborans, corporis vires non magnopere desidero. Adsum amicis; venio in senatum frequens, ultroque affero res multum et diu cogitatas; easque tueor animi, non corporis viribus. Quae si exsequi nequirem, tamen me lectulus oblectaret meus, ea ipsa cogitantem, quae iam agere non possem: sed ut possim, facit acta vita. Semper enim in his studiis laboribusque viventi non intelligitur, quando obrepat senectus. Ita sensim sine sensu aetas senescit; nec subito frangitur, sed diuturnitate exstinguitur.

---

exstat, et ab omnibus legitur, ut supra IV. 12; sed h. l. alio sensu sumi debet, cum dicatur liber esse in manibus auctoris, qui ei componendo, poliendo vel emendando operam dat. Duplici hac significatione etiam locutio *habere in manibus* usurpatur; vide supra VII. 22.

nunc cum maxime] i. e. his ipsis diebus. cfr. Zumpt. gr. c. 63. §. 285.

Pythagor.— more] vide ind. hist. voc. Pyth.

curricula mentis] metaphora sumta a ludis Circensibus, in quibus juvenes exercebantur.

adsum amicis] sc. in judicio.

lectulus] in quo recumbebant veteres meditationi vel scriptioni operam daturi; cfr. Plin. Ep. V. 5.

acta vita] Mea quidem sententia vim habet emphaticam, subintellectaque oppositione usurpatum est h. l. vocabulum *acta*, praesertim cum priorem etiam locum obtineat. Quam emphasin quum non animadverterent V. D., jure in vocibus *acta vita*, sic nude positis, offendebantur. Simillimum huic locum habes apud Senec. Ep. 93: *Hoc a me exige, ne velut per tenebras aevum ignobile emetiar; ut agam vitam, non ut praetervehar.*

Capitt. XII. XIII. XIV.

Quod ad tertiam querelam, non modo nullam vituperationem sed summam laudem senectutis esse, quod ea careat voluptatibus. Nihil enim esse hominis menti tam inimicum tamque pestiferum, quam voluptatem; unde omne flagitiorum genus et scelerum scatur. Ex quo intelligendum, gratiam habendam esse senectuti, si hominem libidinum dominatione liberet. Neque tamen honestis voluptatibus carere eam aetatem. Frui enim conviviis amicorumque sermonibus, delectari studiis atque doctrina.

39 XII. Sequitur tertia vituperatio senectutis, quod eam carere dicunt voluptatibus. O praeclarum munus aetatis, si quidem id aufert nobis, quod est in adolescentia vitiosissimum! Accipite enim, optimi adolescentes, veterem orationem Archytae Tarentini, magni in primis et praeclari viri; quae mihi tradita est, cum essem adolescens Tarenti cum Q. Maximo. „Nullam capitaliorem pestem, quam corporis voluptatem, hominibus dicebat a natura datam; cuius voluptatis avidae libidines temere et effrenate ad potiundum in-
40 citarent. Hinc patriae proditiones, hinc rerumpublicarum eversiones, hinc cum hostibus clandestina colloquia nasci; nullum denique scelus, nullum malum facinus esse, ad quod

---

39. Vulgo *incitarentur.* —

Cap. XII. §. 40. *scelus — facinus — flagitium*] *scelus et facinus* gradu differunt. Nam facinus, quum malo sensu, ut plerumque, sumitur, de egregio scelere adhibetur, ut Cic. Sext. 27: *Postea quod scelus, quod facinus parricida non edidit!* Martial. XI. 94: *O scelus, o magnum facinus, crimenque deorum! Scelus* autem et *flagitium* discernuntur, quod *scelerati* contra alios, *flagitiosi* contra se ipsos peccant; illos poena consequitur, hos infamia; Tacit. Germ. 12: *Distinctio poenarum ex delicto; proditores ac transfugas arboribus suspendunt; ignavos et imbelles et corpore infames coeno ac palude, iniecta insuper crate, mergunt. Diversitas supplicii illud respicit, tamquam scelera ostendi oporteat, dum puniuntur, flagitia abscondi.*

suscipiendum non libido voluptatis impelleret; stupra vero
et adulteria, et omne tale flagitium, nullis aliis illecebris
excitari, nisi voluptatis. Cumque homini sive natura, sive
quis Deus, nihil mente praestabilius dedisset: huic divino
muneri ac dono nihil esse tam inimicum, quam voluptatem.
Nec enim, libidine dominante, temperantiae locum esse; ne- 41
que omnino in voluptatis regno virtutem posse consistere.
Quod quo magis intelligi posset, fingere animo iubebat tanta incitatum aliquem voluptate corporis, quanta percipi posset maxima: nemini censebat fore dubium, quin tamdiu, dum ita gauderet, nihil agitare mente, nihil ratione, nihil cogitatione consequi posset. Quocirca nihil esse tam detestabile, tamque pestiferum, quam voluptatem: si quidem ea, cum maior esset atque longior, omne animi lumen exstingueret." —— Haec cum C. Pontio Samnite, patre eius, a quo Caudino praelio Sp. Postumius, T. Veturius, consules, superati sunt, locutum Archytam, Nearchus Tarentinus, hospes noster, qui in amicitia populi Romani permanserat, se a maioribus natu accepisse dicebat, cum quidem ei sermoni interfuisset Plato Atheniensis: quem Tarentum venisse, L.
Camillo, Appio Claudio consulibus, reperio. Quorsus haec? 42
ut intelligatis, si voluptatem aspernari ratione et sapientia

---

42. *intelligeretis* R. M. P. —

munus ac donum] cfr. IV. 10.

§. 41. *quanta — maxima*] ex syntaxi ornatiore pro *quam — maxima*, cfr. Zumpt. gr. c. 84. §. 689.

nihil ratione, nihil cogit.] *ratio* in conjectura facienda cernitur, *cogitatio* in inventione ac praeparatione consiliorum, sententiarum, orationum, disputationum etc.

qui in amicitia P. R. permanserat] Formula loquendi antiqua et sollennis, quam habes in fragmento Thoriae legis: *Quei eorum in amicitiam populi Romani bello Poinicio proximo manserunt.*

§. 42. *aspernari*] *aspernari* est rem oblatam, tamquam indignam, recusare, ut Suet. Ner. 58: *panem sordidum oblatum aspernatus est.* Cujus vocis Synonyma

non possemus, magnam habendam senectuti gratiam, quae effecerit, ut id non liberet, quod non oporteret. Impedit enim libido consilium; voluptas rationi inimica est, ac mentis, ut ita dicam, praestringit oculos; nec habet ullum cum virtute commercium. Invitus quidem feci, ut fortissimi viri T. Flaminini fratrem, L. Flamininum, e senatu eiicerem, octo annis post, quam consul fuisset: sed notandam putavi libidinem. Ille enim cum esset consul, in Gallia exoratus in convivio a scorto est, ut securi feriret aliquem eorum, qui in vinculis essent damnati rei capitalis. Hic Tito, fratre suo, censore — qui proximus ante me fuerat — elapsus

Vulgo *efficeret* — *impedit enim consilium, voluptas rationi inimica ac* E. v. S. V. m. M. L. P. 1. 2. — *invitus feci* R. E. T. b. M. L. P. — *exhortatus* E. T. b. *exhortatus est in conviv. a sc.* v. S. V. m. —

contemnere et *despicere* quid differant, optime docuit Lambin. Ep. ad Muret. Vol. I. p. 399: *Contemnimus*, inquit, magna, metuenda, ut pericula, mortem; *despicimus* infra nos posita, ut vulgi opiniones; cfr. XVIII. 65.

quae effecerit] *effecerit* pro Vulgata *efficeret* ex Codd. dedit Gernhardus, quem secutus est nuper Orellius. Quam vere, ipsi viderint; non enim constant sibi in regula, quam tueri volunt. Nam si *effecerit* Tempus propter *intelligatis* est necessarium, eadem ratione *liberet* et *oporteret* in *libeat* et *oporteat* essent mutanda contra Codicum autoritatem. Nescio an ex praestantissimo Cod. R. rescribendum sit *intelligeretis*; quo recepto nihil jam erit, in quo haereas. Nam ad *Quorsus haec* intelligendum est *dixi*; *efficeret* autem non, ut Gernh. vult, hypothetice accipiendum, sed Aoristus est orationis obliquae. Confer etiam Zumpt. gramm. c. 76. §§. 504, 514, 515.

Invitus quidem feci, ut] De hac periphrasi vid. Zumpt c. 80. §. 615; cfr. c. 84. §§. 720, 721.

notandam] *notare* h. l. proprie adhibetur de nota censoria, cfr. Liv. XXXIX. 42: *Institutum fertur, ut censores motis senatu adscriberent n o t a s;* et eundem XXIV. 18: *Additum inerti censoriae notae triste senatus consultum, ut ii omnes, quos censores n o t a s s e n t, pedibus mererent.*

est: mihi vero et Flacco neutiquam probari potuit tam flagitiosa et tam perdita libido, quae cum probro privato coniungeret imperii dedecus.

XIII. Saepe audivi a maioribus natu — qui se porro 43
pueros a senibus audisse dicebant — mirari solitum C. Fabricium, quod, cum apud regem Pyrrhum legatus esset, audisset a Thessalo Cinea, esse quendam Athenis, qui se sapientem profiteretur; eumque dicere, omnia, quae faceremus, ad voluptatem esse referenda. Quod ex eo audientes, M'. Curium et Ti. Coruncanium optare solitos, ut id Samnitibus ipsique Pyrrho persuaderetur, quo facilius vinci possent, cum se voluptatibus dedidissent. Vixerat M'. Curius cum P. Decio, qui quinquennio ante eum consulem se pro republica quarto consulatu devoverat. Norat eundem

---

43. Alii leg. *dedissent.* —

probro — dedecus] *dedecus* ad publicam, *probrum* ad privatam vel domesticam vitae rationem pertinet.

Cap. XIII. §. 43. *quendam*] sc. Epicurum, de quo videndus ind. hist.

dedidissent] Alii leg. *dedissent.* Utra vera sit lectio, in medio relinquam Monendum autem *dedere se,* docente Bremio ad Corn. Themist. I. 3. et Schuetzio in ind. Lat. II. p. 22., poni pro *totum se dedere,* ut Caes. bell. Gall. III. 22: *quorum haec est conditio, uti omnibus in vita commodis una cum his fruantur, quorum se amicitiae dediderint; si quid iis per vim accidat, aut eundem casum una ferant, aut sibi mortem consciscant.* Cic. Tusc. I. 30 *Qui* (animi) *se humanis corporibus contaminavissent, et se totos libidinibus dedidissent, iis devium quoddam iter esse, seclusum a concilio deorum.* Aliter autem se rem habere, si voces *dedere* et *dare* de deditione victorum adhibeantur, idem vult Bremius ad Lysand. I. 2.

quarto consulatu] de hoc Ablativi usu tyro adeat Zumpt. gramm. c. 74. §. 475. adnot. cfr. XVIII. 63.

devoverat] de virtute Deciorum vid. ind. hist. in voc. Decius.

Norat eundem] Pronom. *idem* ita nonnunquam adhibetur, ut

Fabricius, norat Coruncanius: qui cum ex sua vita, tum ex eius, quem dico, P. Decii, facto, iudicabant, esse profecto aliquid natura pulcrum atque praeclarum, quod sua sponte peteretur, quodque, spreta et
44 contemta voluptate, optimus quisque sequeretur. Quorsum igitur tam multa de voluptate? quia non modo vituperatio nulla, sed etiam summa laus senectutis est, quod ea voluptates nullas magnopere desiderat.— At caret epulis exstructisque mensis et frequentibus poculis? Caret ergo vinolentia et cruditate et insomniis. Sed si aliquid dandum est voluptati, quoniam eius blanditiis non facile obsistimus — divine enim Plato escam malorum voluptatem appellat, quod ea videlicet homines capiantur, ut hamo pisces — quamquam immoderatis epulis caret senectus, modicis tamen conviviis potest delectari. C. Duilium, M. F. qui Poenos classe primus devicerat, redeuntem a coena senem saepe videbam puer; delectabatur crebro funali et tibicine, quae sibi nullo exemplo privatus sumserat: tantum licentiae dabat gloria!

---

44. *haec tam* m. M. L. — *magno opere* Ed. Orell. b. — *cereo* M. g.

ad sequentia referendum sit; Caes. bell. Gall. I. 37: *Haec eodem tempore Caesari mandata referebantur, et legati ab Aeduis veniebant*; idem. bell. Civ. I. 62.; Cic. Cat. I. 8: *me nullo modo posse iisdem parietibus esse tecum.*

pulcrum] h. e. honestum; *pulcrum* enim dicitur, quod omni ex parte perfectum est.

sua sponte] sua sponte cum Passivo paulo rarius reperitur, ut infra XIX. 71.

§. 44. *spreta et contemta*] cfr. ad XII. 42.

si aliquid] Qua conditione ali post *si* non abjiciendum sit, docet Zumpt. gramm. cap. 84. §. 710; cfr. XIX. 66.

escam malorum] Plato in Tim. ἡδονὴ μέγιστον κακῶν δέλεαρ.

divine] Theodorus recte vertit δαιμονίως (treffend).

crebro funali] i. e. multis funalibus; voce autem *creber* in

Sed quid ego alios? ad meipsum iam revertar. Primum 45
habui semper sodales. Sodalitates autem me quaestore con-
stitutae sunt, sacris Idaeis Magnae Matris acceptis. Epula-
bar igitur cum sodalibus omnino modice, sed erat quidam
fervor aetatis: qua progrediente, omnia fiunt in dies mitiora.
Neque enim ipsorum conviviorum delectationem voluptatibus
corporis magis, quam coetu amicorum et sermonibus metie-
bar. Bene enim maiores nostri accubitionem epularem ami-
corum, quia vitae coniunctionem haberet, convivium nomi-
narunt; melius, quam Graeci, qui hoc idem tum compotatio-
nem, tum concoenationem vocant; ut, quod in eo genere
minimum est, id maxime probare videantur.

XIV. Ego vero propter sermonis delectationem tempe- 46
stivis quoque conviviis delector, nec cum aequalibus solum,
qui pauci admodum restant, sed cum vestra etiam aetate at-
que vobiscum: habeoque senectuti magnam gratiam, quae
mihi sermonis aviditatem auxit, potionis et cibi sustulit.
Quod si quem etiam ista delectant — ne omnino bellum in-

---

45. *jam* alii om. — *tamen quidam* V. Facciol. g. — om. *nostri* E. T. b. et alii. — 46. *pauci jam admod.* E. T. b. M. P.

celebratione significanda exquisitius usus est Tullius. De re vid. ind. hist. voc. Duil.

sacris Id. M. Matris] vid. ind. hist. voc. Id.

tum compotat, tum concoen.] sc. συμπόσιον, σύνδειπνον.

minimum est] Nomina sumenda sunt ab eo, quod potissimum est; ipsi autem sumunt a potando et coenando, quod est minimum.

Cap. XIV. §. 46. *tempestivis*] *Tempestiva* convivia, monente Drakenborchio, ea dicebantur, quae incipiebant ante horam diei nonam, sive, ut nos numeramus, tertiam pomeridianam, quae hora sollennis coenae erat, et pertrahebantur in multam noctem; adeoque *tempestiva* convivia semper ponuntur in vitio, nunquam laudantur.

cum vestra et. aetate] i. e. cum vestris aequalibus, cfr. ad II. 4.

dixisse videar voluptati, cuius est (etiam) fortasse quidam
naturalis motus — non intelligo, ne in istis quidem volup-
tatibus ipsis, carere sensu senectutem. Me vero et magiste-
ria delectant, a maioribus instituta; et is sermo, qui, more
maiorum, a summo adhibetur in poculis; et pocula, sicut in
symposio Xenophontis, minuta atque rorantia; et refrigera-
tio aestate, et vicissim aut sol aut ignis hibernus. Quae
quidem in Sabinis etiam persequi soleo, conviviumque vici-
norum quotidie compleo; quod ad multam noctem, quam
47 maxime possumus, vario sermone producimus. — At non est
voluptatum tanta quasi titillatio in senibus! Credo: sed ne
desideratio quidem. Nihil autem molestum, quod non desi-
deres. Bene Sophocles, cum ex eo quidam, iam affecto ae-
tate, quaereret, uteretume rebus venereis: *Dii meliora!*

---

modus R. E. v. S. V. et alii. — 47. *Dic. mel.* i. v. et alii. —

motus] h. e. appetitus.

magisteria] In conviviis sorte legebatur, qui leges bibendi praescriberet et pocula imperaret, Graecis συμποσίαρχος, Latinis *modimperator*, *dictator*, *magister*, ejusque dignitas *magisterium*, *regnum*. Sic Horat. I. 4. 18: *Nec regna vini sortiere talis.*

a summo] ab eo, qui summus accumbit. *A summo* ad imum ducebantur invitationes, certo sermone conceptae, ut convivii magister dictabat.

rorantia] pocula, quae leviter *irrorant* convivas, ideoque parum vini capiunt. Confer Xenoph. Sympos. c. 2: Ἦν ἡμῖν οἱ παῖδες μικραῖς κύλιξι πυκνὰ ἐπιψεκάζωσιν, οὕτως οὐ βιαζόμενοι ὑπὸ τοῦ οἴνου μεθύειν, ἀλλ' ἀναπειθόμενοι πρὸς τὸ παιγνιωδέστερον ἀφιξόμεθα.

in Sabinis] ubi rusticare Cato solebat.

vicinorum — compl.] i. e. vicinis compleo; de verbo *complere* cum Genit. vide Zumpt. c. 74. §. 463.

§. 47. *quasi titill.*] *quasi* eleganter et modeste ad Nomina improprie posita addi solet; de quo Zumpt. c. 84. §. 707.

Dii meliora!] formula averruncandi (behüte Gott!), ut apud

inquit. *Libenter vero istinc, tamquam a domino agresti ac furioso, profugi.* Cupidis enim rerum talium odiosum et molestum est fortasse carere; satiatis vero et expletis iucundius est carere, quam frui. Quamquam non caret is, qui non desiderat: ergo non desiderare, dico esse iucundius.
48 Quodsi istis ipsis voluptatibus bona aetas fruitur libentius, primum parvulis fruitur rebus, ut diximus: deinde iis, quibus senectus, si non abunde potitur, non omnino caret. Ut Turpione Ambivio magis delectatur, qui in prima cavea spectat, delectatur tamen etiam, qui in ultima: sic adolescentia voluptates prope intuens magis fortasse laetatur, sed delectatur etiam senectus procul eas spectans, tantum, quantum sat est.
49 At illa quanti sunt, animum, tamquam emeritis stipendiis libidinis, ambitionis, contentionis, inimicitiarum, cupiditatum omnium, secum esse, secumque, ut dicitur, vivere! Si vero habet aliquod tamquam pabulum studii atque doctrinae, nihil est otiosa senectute iucundius. Mori paene videbamus in

---

ergo non R. v. V. m. G. — 48. *propter intuens.* Ed. Orell. E. S. L. P. prob. Wundero. —

Liv. XXXIX. 10: *Id ubi mulier audivit, perturbata, D i i m e l i o r a! inquit: mori et sibi et illi satius esse, quam id faceret;* plenam locutionem habes in Tib. III. 4:

Di meliora ferant! nec sint insomnia vera,
Quae tulit extrema pessima nocte quies.

Quamquam non caret is, qui —] Veram significationem vocis *carere*, qua sic inepte usum esse Cato se ipse reprehendit, docet Cic. Tusc. I. 36. 88: *C a r e r e igitur hoc significat, egere eo, quod habere velis. Inest enim velle in c a r e n d o,* et ibid. paulo superius: *quum id non habeas, quod tibi nec usu, nec natura sit aptum, non c a r e a s, etiam si sentias, te non habere.*

§. 48. *bona aetas*] de adolescentia dictum puta, ut Ep. ad Div. X. 3: *consul es designatus o p t i m a aetate, summa eloquentia.*

in prima cavea] i. e. in parte prima caveae; cfr. Zumpt. c. 84. §. 685.

§. 49. *secum esse*] Hoc est,

studio dimetiundi coeli atque terrae C. Gallum, familiarem patris tui, Scipio! Quoties illum lux, noctu aliquid describere ingressum, quoties nox oppressit, cum mane coepisset! quam delectabat eum, defectiones solis et lunae multo 50 nobis ante praedicere! Quid in levioribus studiis, sed tamen acutis? quam gaudebat bello suo Punico Naevius! quam Truculento Plautus! quam Pseudolo! Vidi etiam senem Livium: qui cum sex annis ante, quam ego natus sum, fabulam docuisset, Centone Tuditanoque consulibus, usque ad adolescentiam meam processit aetate. Quid de P. Licinii Crassi, et pontificii et civilis iuris studio loquar? aut de huius P. Scipionis, qui his paucis diebus pontifex maximus factus est? Atqui eos omnes, quos commemoravi, his studiis flagrantes

---

50. *Atque* b. M. P. —

ut docet Graevius, se et suam mortem curare, neglectis inanibus studiis et voluptatibus populi, quod Persio Sat. V. 52. est: *Tecum habita; noris, quam sit tibi curta supellex.*

describere] de rebus astronomicis sermo est; pertinet itaque *describere* ad res coelestes earumque figuras.

§. 50. *bello Punico*] de hoc Naevii carmine, ut paulo infra de Plauti et Livii fabulis vide ind. hist.

hujus P. Scipionis] sc. Nasicae, de quo ind. hist.

Atqui eos omnes] Falso h. l. Gernhardus et Orellius lectionem *atqui* tuentur. Ascendere enim in hac sententia ad majora orationem, nemo, opinor, non videt; in quo non particulae *atqui* locus est, sed *atque*. Quae quidem vis amplificandi ita nonnunquam adhibetur, ut pro *tamen* posita videatur haec particula; adeoque loci sunt nonnulli, de quibus ambigere possis, utrum haec an illa significatio potior sit. Confer Cic. Tusc. V. 21. 62: *Satisne videtur declarasse Dionysius, nihil esse ei beatum, cui semper aliquis terror impendeat? Atque ei ne integrum quidem erat, ut ad justitiam remigraret, civibus libertatem et jura redderet;* Ovid. Heroid. I. 28:

Illi victa suis Troïa fata canunt.
Atque aliquis posita monstrat fera proelia mensa,
Pingit et exiguo Pergama tota mero.

Sic etiam, quod obiter monuerim,

senes vidimus. M. vero Cethegum, quem recte *Suadae medullam* dixit Ennius, quanto studio exerceri in dicendo videbamus, etiam senem! Quae sunt igitur epularum, aut ludorum, aut scortorum voluptates cum his voluptatibus comparandae? Atque haec quidem studia doctrinae: quae quidem prudentibus et bene institutis pariter cum aetate crescunt; ut honestum illud Solonis sit, quod ait versiculo quodam, ut ante dixi, senescere se, multa in dies addiscentem: qua voluptate animi nulla certe potest esse maior.

C a p i t t. XV. XVI. XVII. XVIII.

Studiorum senilium primas defert agriculturae, qua incredibiliter delectari se dicit; tum digressione longiore agricolendi artes, atque assidui agricolae fructus qui sint, suavissime describit, beatamque esse, ait, ac proxime ad sapientis vitam accedere vitam agricolarum; quod Curii, Cincinnati, Cyri minoris exemplo confirmat. Quod corporis autem voluptatibus careant senes, id auctoritatis, et illius quidem non e canis vel rugis petitae, sed justae, compensari praemiis; quae in quacunque optime morata civitate grandibus natu maxime concedantur; at asperitatem et iracundiam et avaritiam morum vitia esse, non senectutis.

XV. Venio nunc ad voluptates agricolarum, quibus ego 51
incredibiliter delector: quae nec ulla impediuntur senectute,

---

Atqui R. E.

locus Horatii Od. III. 5. 49. sanandus est, *atque sciebat* pro *atqui sc.* legendo; nam ultima in *atque* longa fit positione. Caeterum cfr. ad h. l. VI. 16.; XVIII. 65.; et ad XXII. 80.

Suadae medullam] integer versiculus sonat:

Flos delibatus populi Suadaeque medulla.

Atque haec quidem] frequens hujus particulae usus is est, ut finem imponat orationi, ubi, quod demonstratum vel dictum est, iterum comprehenditur, et ita rem actam esse significatur, ut Cic. Off, I. 6. 19.: *Ac de primo quidem officiorum fonte diximus.* Orat. 15. 50: *Atque in primis duabus dicendi partibus qualis esset, summatim breviterque descripsimus.*

Cap. XV. §. 51. *voluptates agricol.*] Sermonis familiaritati hoc tribuendum est, quod Ci-

et mihi ad sapientis vitam proxime videntur accedere. Habent enim rationem cum terra, quae numquam recusat imperium, nec umquam sine usura reddit, quod accepit, sed alias minore, plerumque maiore cum foenore. Quamquam me quidem non fructus modo, sed etiam ipsius terrae vis ac natura delectat. Quae cum gremio mollito ac subacto semen sparsum excepit, primum id occoecatum cohibet — ex quo occatio, quae hoc efficit, nominata est — deinde tepefactum vapore et compressu suo diffindit, et elicit herbescentem ex eo viriditatem: quae, nixa fibris stirpium, sensim adolescit, culmoque erecta geniculato, vaginis iam, quasi pubescens, includitur; e quibus cum emersit, fundit frugem spici ordine structam, et contra minorum avium morsus mu-

---

51. *occatum* b. v. m. M. — *complexu* v. V. m. L. — *diffundit* E. T. b. v. S. et alii. —

cero explicatius, quam de reliquis voluptatum generibus, disserentem de agricultura fecit Catonem, qua ipse maxime delectabatur; cfr. Off. I. 42.

ad sapientis vitam] In eandem sententiam Virgilius Georg. II. 491:

Felix, qui potuit rerum cognoscere causas,
Atque metus omnis et inexorabile fatum
Subjecit pedibus, strepitumque Acherontis avari!
Fortunatus et ille, deos qui novit agrestis,
Panaque, Sylvanumque senem, Nymphasque sorores!

reddit, quod accepit] Mire etiam in hoc conspirat cum Ciceronis ingenio ingenium Virgilii Georg. II. 458:

O fortunatos nimium, sua si bona norint,
Agricolas! quibus ipsa, procul discordibus armis,
Fudit humo facilem victum justissima tellus.

occoecatum] *occoecatur* semen, cum, glebis comminutis, pulvere tegitur.

geniculato] *genicula* sunt nodi in caulibus et culmis, quibus hi distinguuntur.

spici] *spicos* monente Servio ad Virg. Georg. I. 314, de maturis frugibus abusive dicimus; nam proprie est *spicus*, quum per culmi folliculum i. e. extremum tumorem aristae adhuc tenues in modum *spiculi* eminent

nitur vallo aristarum. Quid ego vitium satus, ortus, incre- 52
menta commemorem? Satiari delectatione non possum, ut
meae senectutis requietem oblectamentaque pernoscatis.
Omitto enim vim ipsam omnium, quae generantur e terra;
quae ex fici tantulo grano, aut ex acino vinaceo, aut ex ce-
terarum frugum ac stirpium minutissimis seminibus tantos
truncos ramosque procreat. Malleoli, plantae, sarmenta, vi-
viradices, propagines, nonne ea efficiunt, ut quemvis cum
admiratione delectent? Vitis quidem, quae natura caduca
est, et, nisi fulta sit, ad terram fertur, eadem, ut se erigat,
claviculis suis, quasi manibus, quidquid est nacta, complec-
titur: quam, serpentem multiplici lapsu et erratico, ferro
amputans coërcet ars agricolarum, ne silvescat sarmentis et
in omnes partes nimia fundatur. Itaque ineunte vere in iis, 53
quae relicta sunt, exsistit, tamquam ad articulos sarmento-
rum, ea, quae gemma dicitur; a qua oriens uva sese osten-
dit: quae et succo terrae, et calore solis augescens pri-
mo est peracerba gustatu, deinde maturata dulcescit; vesti-
taque pampinis, nec modico tepore caret, et nimios solis de-
fendit ardores. Qua quid potest esse cum fructu laetius,
tum adspectu pulcrius? Cuius quidem non utilitas me so-

---

52. *oblectamentumque* Ed. Orell. R. E. b. et alii. — *noscatis* Ed. Orell. — *tantillo* L. P. — *vites, radices* R. E. b. v. m. —

§. 52. *malleoli*] h. e. surculi propter mallei speciem malleoli dicti; de quo Plin. XVII. 21: *surculus, utrimque capitulatus e duro seri consuevit, eoque argumento m a l l e o l u s etiam nunc vocatur.*

viviradices] sunt plantae, quae vivam radicem habent, ad differentiam malleolorum. Confer Colum. IV. 14: *Sationis autem duo sunt genera, malleoli, vel v i v i r a d i c i s; quod utrumque ab agricolis usurpatur, et in provinciis magis malleoli. Neque enim seminariis student, nec usum habent faciendae v i v i r a d i c i s;* et Plin. XVII. 22: *In arido solo v i v i r a d i x quoque frustra seritur.*

§. 53. *laetius — pulcrius*] uva *laeta*, quae specie nitida est, *pulcra*, quae turgida.

lum, ut ante dixi, sed etiam cultura et ipsa natura delectat: adminiculorum ordines, capitum iugatio, religatio et propagatio vitium, sarmentorumque ea, quam dixi, aliorum amputatio, aliorum immissio. Quid ego irrigationes? quid fossiones agri repastinationesque proferam, quibus fit multo terra
54 foecundior? Quid de utilitate loquor stercorandi? Dixi in eo libro, quem de rebus rusticis scripsi. De qua doctus Hesiodus ne verbum quidem fecit, cum de cultura agri scriberet: at Homerus, qui multis, ut mihi videtur, ante saeculis fuit, Laërtem lenientem desiderium, quod capiebat e filio, colentem agrum et eum stercorantem facit. Nec vero segetibus solum et pratis et vineis et arbustis res rusticae laetae sunt, sed etiam hortis et pomariis: tum pecudum pastu, apium examinibus, florum omnium varietate. Nec consitiones modo delectant, sed etiam insitiones: quibus *nihil* invenit agricultura sollertius.

---

54. *loquar.* Ed. Orell. —

capitum jugatio] *Jugum* in vineis dicebantur perticae humi defixae, quibus aliae imponebantur superius transversae ad instar jugi militaris.

repastinationes] Colum. III. 18: *Pastinum vocant agricolae ferramentum bifurcum, quo semina panguntur; unde etiam repastinatae dictae fuere vineae veteres, quae refodiebantur.*

§. 54. *loquor*] Haec lectio, quae non nisi in ed. Gernh. exstat, typothetae, ni omnino fallor, incuriae debetur; quamquam nihil monitum est in Corrigendis. Rescribendum igitur *loquar.*

doctus Hesiod.] *doctus* saepenumero usurpatur de elegantia; h. l. *doctus* est poëta elegans.

Laërtem len.] Odyss. ω, 225: Τὸν οἶον πατέρ' εὗρεν ἐϋκτιμένῃ ἐν ἀλωῇ Λιστρεύοντα φυτόν; et ibid. 242: ἤτοι ὁ μὲν κάτ' ἔχων κεφαλὴν, φυτὸν ἀμφελάχαινε.

insitiones] de insitione juvat audire Ovid. Met. XIV. 630:

fissa modo cortice virgam
Inserit: et succos alieno praestat alumno.

XVI. Possum persequi multa oblectamenta rerum rusticarum; sed ea ipsa, quae dixi, sentio fuisse longiora. Ignoscetis autem; nam et studio rerum rusticarum provectus sum, et senectus est natura loquacior: ne ab omnibus eam vitiis videar vindicare. Ergo in hac vita M'. Curius, cum de Samnitibus, de Sabinis, de Pyrrho triumphasset, consumsit extremum tempus aetatis: cuius quidem villam ego contemplans — abest enim non longe a mea — admirari satis non possum vel hominis (ipsius) continentiam, vel temporum disciplinam. Curio, ad focum sedenti, magnum auri pondus Samnites cum attulissent, repudiati sunt. Non enim aurum habere, praeclarum sibi videri dixit; sed iis, qui haberent aurum, imperare. Poteratne tantus animus non iucundam 55

---

55. *longe a me* Ed. Orell. — om. *ipsius* Ascens. M. L. —

Cap. XVI. §. 55. *Ignoscetis autem*] autem, ut graecum δή nonnunquam habet vim confirmativam, (doch, jedoch) ut Off. I. 22. 77: *Illud autem optimum est, in quod invadi solere ab improbis et invidis audio.*

studio rerum rust. prov.] His verbis ambigitur utrum scriptor dicat: in rerum rusticarum studio consenui; an: studio rerum rusticarum longior factus sum; quorum illud Wetzelius, hoc Ernesti defendit. Lis acta erit, si spectaveris ordinem verborum. Est enim *rerum rusticarum*, cum secundo loco veniat, Genit. objectivus, vocabulique *studio* notio primaria, quam secundariam secundario loco esse oporteret, si Cicero, quod Wetz. vult, dixisset. Cfr. Zumpt. gramm. c. 87. §. 788.

hominis (ipsius)] Facillime suffragor Gernhardo, cui *ipsius* suspectum est; dicit enim: Equidem suspicor, pronomen *ipsius* esse expungendum, ut abest in ed. Ascens. 1520 et Theod. versione τὸ ἐγκρατὲς τοῦ ἀνδρὸς, οὔτε etc. Aut *hominis* aut *ipsius* scribendum.

continentiam] *continentia* h. l. non, ut alias, libidini opponi, sed pro *abstinentia* esse videtur. Sic etiam *continens* adhibuit Caes. bell. civ. I. 23: *Sestertium sexagies, quod advexerat Domitius atque in publicum deposuerat, adlatum ad se ab duumviris Corfiniensibus, Domitio reddit, ne con*

efficere senectutem? Sed venio ad agricolas; ne a me ipso
56 recedam. In agris erant tum senatores, id est senes: si quidem aranti L. Quinctio Cincinnato nuntiatum est, eum dictatorem esse factum: cuius dictatoris iussu magister equitum C. Servilius Ahala Sp. Maelium, regnum appetentem, occupatum interemit. A villa in senatum arcessebantur et Curius, et ceteri senes: ex quo, qui eos arcessebant, viatores nominati sunt. Num igitur horum senectus miserabilis fuit, qui se agri cultione oblectabant? Mea quidem sententia haud scio, an nulla beatior esse possit: neque solum of-

---

56. *me ipse* L. P. — *tunc senat.* m. M. L. P. — *et iidem senes* E. b. L. P. et alii. — *et occupantem* v. m.; *et occupare volentem* S. V. — *an ulla* R. E. T. b. v. S. m. M. L. P. 3. probb. Herm. et Beier. Off. T. I. p. 338. —

tinentior in vita hominum, quam in pecunia fuisse videatur.

§. 56. *id est senes*] *id est* apud Ciceronem frequens est pro *intelligo*, ut altera vox alteram interpretetur, et quid cogitandum potissimum sit, significet; Fin. III. 5. 18: *Jam membrorum, id est, partium corporis, alia videntur propter eorum usum a natura esse donata, ut manus* etc. Vult igitur dicere: Illa aetate ii, qui propter senectutem sapientiamque reipublicae praefici solebant, in agris vitam agebant.

occupatum] *occupatum* eum dicunt, qui, dum versatur in vitae discrimine, vi aut opprimitur, aut eripitur, ut Caes. bell. civ. III. 109: *Quos ille, quum in conspectum ejus venissent, priusquam audiret, aut, cujus rei causa missi essent, cognosceret, corripi atque interfici jussit; quorum alter accepto vulnere occupatus, per suos pro occiso sublatus, alter interfectus est.*

viatores] haec vox, cum de quovis, qui iter faceret, usurpari posset, ad magistratuum quoque apparitores translata est, utpote quibus non semel in agros iter faciendum esset ad arcessendos senatores. Caeterum Burmanno ad Petron. Satyr. c. 97 monente, apud scriptores veteres consulibus, dictatoribus et praetoribus praeter lictores viatores apparebant; minores magistratus tantum viatores habebant.

haud scio an] est haec, ut etiam *nescio an*, urbanitatis formula,

quod hominum generi universo cultura agrorum est aris, sed et delectatione, quam dixi, et saturitate copia- omnium rerum, quae ad victum hominum, ad cultum ı deorum pertinent: ut, quoniam haec quidam deside- in gratiam iam cum voluptate redeamus. Semper enim assiduique domini referta cella vinaria, olearia, etiam

---

ı *dixi* E. P. —

inscientiam simulamus, ne ;antiores in affirmando vi- ur; neque ea nisi prima ıl. Indicat. usu venire po- quamquam hic illic Con- iv. *haud sciam an* invenitur, majoris etiam gratiorisque ıodestiae. Hae autem for- e necessario post se habent tiones, si, quod nescire nos lamus, affirmatum esse vo- s; sin his formulis nulla inscientiae simulatio, sed ficatio naturalis, quum vel tamus, vel ad negandum pro- iores sumus, negatio locum re non potest. Exempla in nque partem haec fere erunt: Brut. 33. 126: *Eloquentia m nescio an habuisset pa- neminem*; Senec. de Clem. 2: *Quotusquisque accusator t culpa? et nescio an ne- ad dandam veniam difficilior quam qui illam petere sae- meruit*; in quibus *nescio an* › sensu abesse poterat, non- nisi modestiae causa adjectum. — Cic. ad Fam. VI. 7: *Ac nescio, an tibi gratius opportuniusque acciderit*, i. e. non credo, tibi grat. opport. accidisse; Plin. Ep. III. 1: *Nescio, an nullum tempus jucundius exegerim*, i. e. non puto, me ull. temp. juc. exegisse. Jam ex his, quae posuimus, facile est ad intelligendum, egregie falli eos, qui nostro loco lectionem *an ulla* tuendam esse contendant. Obiter monemus de simili usu formulae *dubito an*, eam non solum prima Praesent., sed ceteris etiam et Personis et Temporibus occurrere, atque sensu differre, quod in hac *an* est pro *an potius*, *an contra*, ut Nep. Thras. I, 1: *Si per se virtus sine fortuna ponderanda sit, dubito an hunc primum omnium ponam*. Cfr. Zumpt. gr. c. 67. §. 354.

assidui] assiduus, qui frequenter adest in praediis, ut, quid operis fiat, inspicere possit.

penaria est, villaque tota locuples est; abundat porco, haedo, agno, gallina, lacte, caseo, melle. Iam hortum ipsi agricolae succidiam alteram appellant. Conditiora facit haec su-
57 pervacanei operis aucupium atque venatio. Quid de pratorum viriditate, aut arborum ordinibus, aut vinearum olivetorumque specie dicam? Brevi praecidam: agro bene culto nil potest esse, nec usu uberius, nec specie ornatius: ad quem fruendum non modo non retardat, verum etiam invitat atque allectat senectus. Ubi enim potest illa aetas aut calescere vel apricatione melius, vel igni; aut vicissim umbris aquisve
58 refrigerari salubrius? Sibi igitur habeant arma, sibi equos,

---

penaria] cella penaria quae sit ex Gell. N. A. IV. 1. intelligi potest: *Ex iis autem, quae promerialia et usuaria in locis iisdem essent, ea sola esse penoris putat, quae sint usui annuo.*

porco, haedo etc.] Singularis pro Plurali; de quo orationis ornatu Quintil. VIII. 6: *Maxime autem in ornando valebit numerorum libertas. Nam et Livius saepe sic dicit: Romanus proelio victor, cum Romanos vicisse significat. Et contra Cicero ad Brutum: Populo, inquit, imposuimus et oratores visi sumus, cum de se tantum loquatur. Quod genus non orationes modo ornat, sed etiam quotidiani sermonis usus recipit.*

succidiam] ex horto enim in usus quotidianos herbae succiduntur, ut e carne suilla sale ac fumo durata.

superv. operis] i. e. aucupium atque venatio, quae sunt supervacanei operis, vel tempore operibus necessariis vacuo fiunt.

§. 57. *de prat. viriditate aut arb. ordin.*] Subst. pro Adject. ex syntaxi ornata, cfr. Zumpt. gr. c. 84. §. 672.

ad quem fruendum] cfr. Zumpt. gr. c. 72. §. 466 etc. c. 82. §. 657.

ad quem non retardat, verum—] Non praetereundum Zeugma hoc egregium! Non potest enim dici *retardare ad aliquam rem* sed *ab aliqua re.* Cfr. Brem. ad Nep. Thras. IV. 1. ad Eum. VIII. 2; Zumpt. gr. c. 86. §. 775.

apricatione] Non omnis locus soli expositus, sed is demum a Latine loquentium usu dicitur *apricus*, qui soli tepido, levi, temperato, non torrentissimo patet.

sibi hastas, sibi clavam, sibi pilam, sibi natationes et cursus: nobis senibus ex lusionibus multis talos relinquant et tesseras: id ipsum utrum lubebit; quoniam sine his beata esse senectus potest.

XVII. Multas ad res perutiles Xenophontis libri sunt: 59
quos legite, quaeso, studiose, ut facitis. Quam copiose ab eo agricultura laudatur in eo libro, qui est de tuenda re familiari! (qui Oeconomicus inscribitur.) Atque ut intelligatis, nihil ei tam regale videri, quam studium agri colendi, Socrates in eo libro loquitur cum Critobulo: Cyrum minorem, regem Persarum, praestantem ingenio atque imperii gloria, cum Lysander Lacedamonius, vir summae virtutis, venisset ad eum Sardis, eique dona a sociis attulisset, et ceteris in rebus communem erga Lysandrum atque humanum

---

59. *qui est — fam.*, suspecta Grutero. De duplice hoc pronom. relat. cfr Legg. I. 27. III. 38; de nat. Deor. III. 70; de Divin. II. 92. — *Persarum regem* E. V. M. L. P. —

§. 58. *talos et tesseras*] Erant hae lusiones seniles; Suet. Aug. c. 71: *Inter coenam lusimus γεροντικῶς et heri et hodie. Talis enim jactatis ut quisque canem aut senionem miserat, in singulos talos singulos denarios in medium conferebat. Tali* autem differunt a *tesseris*, quod illi erant quattuor laterum, in quibus consistere poterant; *tesserae* erant cubi sex laterum. Talis ludentes habebant quattuor talos; qui tesseris, tres tantum tesseras.

Cap. XVII. §. 59. *ut facitis*] Xenophontem Africanus semper manibus terebat; cfr. Tusc. II. 26.

qui est de — qui Oecon.] de omissione Conj. *et* ante pronom. relat. vid. Zumpt. c. 87. §. 798 et adnot.

regem Persarum] Latiore sensu regis filius rex Pers. dicitur. Sic Virgilius Aeneae filium, Ascanium, regem vocat Aen. IX. 224:

statione relicta
Ipse comes Niso graditur regemque requirunt.

communem] *communis* est, qui erga inferiores sic se gerit, quasi eodem loco esset cum humilioribus; Nep. Att. III. 1: *Sic se gerebat, ut communis infimis, par principibus videretur.*

Quid de Paullo, aut Africano loquar? aut, ut iam ante, de Maximo? quorum non in sententia solum, sed etiam in nutu residebat auctoritas. Habèt senectus, honorata praesertim, tantam auctoritatem, ut ea pluris sit, quam omnes adolescentiae voluptates.

62 XVIII. Sed in omni oratione, mementote, eam me laudare senectutem, quae fundamentis adolescentiae constituta sit. Ex quo id efficitur, quod ego magno quondam cum assensu omnium dixi: miseram esse senectutem, quae se oratione defenderet. Non cani, non rugae repente auctoritatem arripere possunt; sed honeste acta su-
63 perior aetas fructus capit auctoritatis extremos. Haec enim ipsa sunt honorabilia, quae videntur levia atque communia, salutari, adpeti, decedi, assurgi, deduci, reduci, consuli: quae et apud nos, et in aliis civitatibus, ut quaeque optime morata, ita diligentissime observantur. Lysandrum Lacedaemonium, cuius modo mentionem feci, dicere aiunt solitum, Lacedaemone esse honestissimum domicilium senectutis: nusquam enim tantum tribuitur aetati, nusquam est senectus honoratior. Quin etiam memoriae proditum est, cum Athenis, ludis, quidam in theatrum grandis natu venisset, in

62. *canitie* defend. Sch. suspic. in Lex. Cic. — *afferre poss.* v. S. m. M. — om. *extremos* b. — 63. *morata est* B. e. V. L. — *Lacedaemonem* B. b. Lall. —

honorata] i. e. honoribus functa, ut supra VII. 22.

Cap. XVIII. §. 62. *constituta*] h. l. firmata, ut Muren. 5: *Ex Asia laus familiae constituta est.*

oratione def.] Nihil h. l. opus est mutatione; *orat.* enim emphatice dictum est, subintellecta oppositione *non factis.*

§. 63. *salutari, adpeti, decedi*] de more Romanorum, qui vel verecundiae vel captandae benevolentiae causa senibus et magistratibus hunc honorem praestabant. Notandum autem ad verba intransit. *decedi* et *assurgi* intelligendum esse Dativum.

magno consessu locum ei a suis civibus nusquam datum: cum
autem ad Lacedaemonios accessisset, qui, legati cum essent,
certo in loco consederant, consurrexisse omnes et senem
illum sessum recepisse. Quibus cum a cuncto consessu plau- 64
sus esset multiplex datus, dixisse ex iis quendam: Athenien-
ses scire, quae recta essent, sed facere nolle. Multa in no-
stro collegio praeclara; sed hoc, de quo agimus, in primis,
quod, ut quisque aetate antecedit, ita sententiae principa-
tum tenet: neque solum honore antecedentibus, sed iis etiam,
qui cum imperio sunt, maiores natu augures anteponuntur.
Quae sunt igitur voluptates corporis cum auctoritatis prae-
miis comparandae? quibus qui splendide usi sunt, ii mihi
videntur fabulam aetatis peregisse, nec, tamquam inexerci-
tati histriones, in extremo actu corruisse. — At sunt mo- 65
rosi, et anxii, et iracundi, et difficiles senes: si quaerimus,
etiam avari! Sed haec morum vitia sunt, non senectutis.
Ac morositas tamen, et ea vitia, quae dixi, habent aliquid

---

om. *illum* post *sen.* E. b. V. M. L. P. — 65. *At moros.* v. S. V. m. L. P. —

a suis civib.] cfr ad XVII. 59.

certo in loco] Ablativo *certo loco* additum est *in*, quod ea praepositione gaudet Verbum *considere*.

recepisse] i. e. adduxisse.

§. 64. *in nostro collegio*] Augurum collegium intelligendum, quod ex novem viris constitutum erat.

cum imperio] Non videtur h. l. notio imperii (sc. militaris) premenda, sed consules intelliguntur, iique, qui habebant jus in judicium vocandi, oppositis magistratibus minoribus. Tenendum autem *esse cum imperio* vulgo eos dici, quibus potestas belli gerendi data est, *esse in imperio*, qui praesunt rebus urbanis.

§. 65. *morosi et anxii* —] *morosi* sunt, qui mores aliorum castigant; *anxii* instantibus malis trepidant; *solliciti* futura vehementer metuunt; *difficiles* rogantibus negare solent. Cfr. Horat. de arte poët. v. 169. seqq.

odiosa offensio] quaelibet offensio vel exigua magnum sui sensum et molestiam excitat in corpore imbecillo.

ac tamen] eundem sensum, am-

excusationis, non illius quidem iustae, sed quae probari posse videatur: contemni se putant, despici, illudi; praeterea in fragili corpore odiosa omnis offensio est. Quae tamen omnia dulciora sunt et moribus bonis, et artibus: idque tum in vita, tum in scena intelligi potest ex iis fratribus, qui in Adelphis sunt. Quanta in altero duritas, in altero comitas! Sic se res habet: ut enim non omne vinum, sic non omnis aetas vetustate coacescit. Severitatem in senectute probo, sed eam, sicut alia, modicam; acerbitatem nullo modo. Avaritia vero senilis quid sibi velit, non intel-
66 ligo. Potest enim quidquam esse absurdius, quam, quo minus viae restat, eo plus viatici quaerere?

Caput XIX.

Quartam denique culpam senectutis, quae est appropinquatio mortis, duobus potissimum argumentis refellit. Dicit enim, non senectuti solum, sed omni aetati impendere mortem, neque in

---

66. *viae restet* Codd. aliq. v. S. prob. Ernest. — plificativum vel adversativum quendam dico, quem *atque*, habet. De Orat. III. 10. 35: *discipulos dissimiles inter se ac tamen laudandos.* Cfr. ad VI. 16 et XV. 50.

contemnere — despicere] vide supra ad XII. 42.

dulciora sunt] sensus est: minus molesta illa vitia sunt, si mores reliqui boni sunt, et benefactorum in sene est recordatio. *Artes* enim, ut supra III. 9. de virtutibus dixit.

in Adelphis] comoedia Terentii, de quo ind. hist.

in altero duritas, in altero —] *duritas* idem est, quod paulo infra *acerbitas.* Ex his fratribus, qui in Adelphis sunt, alter, Demea, morum in ipsis diversitatem sic arguit:

Vitam ille suam semper egit in otio, in conviviis;
Clemens, placidus, nulli laedere os, arridere omnibus,
Sibi vixit; sibi sumtum fecit, omnes bene dicunt, amant.
Ego ille agrestis, saevus, tristis, parcus, truculentus, tenax
Duxi uxorem etc.

sed eam] vid. Zumpt. syntax. ornat. c. 84. §. 699.

tam brevi vita de longo aevo quemquam posse gloriari; deinde monet, nihil, quod secundum naturam fiat, homini esse in malis habendum.

XIX. Quarta restat caussa, quae maxime angere atque
sollicitam habere nostram aetatem videtur, appropinquatio
mortis: quae certe a senectute non potest longe abesse. O
miserum senem, qui mortem contemnendam esse, in tam
longa aetate non viderit! quae aut plane negligenda est, si
omnino exstinguit animum; aut etiam optanda, si aliquo eum
deducit, ubi sit futurus aeternus. Atqui tertium certe nihil 67
inveniri potest. Quid igitur timeam, si aut non miser post
mortem, aut beatus etiam, futurus sum? Quamquam quis
est tam stultus, quamvis sit adolescens, cui sit exploratum,
se ad vesperum esse victurum? Quin etiam aetas illa multo
plures, quam nostra, mortis casus habet: facilius in morbos
incidunt adolescentes; gravius aegrotant; tristius curantur.
Itaque pauci veniunt ad senectutem: quod ni ita accideret,
melius et prudentius viveretur. Mens enim et ratio et con-

---

66. *atque* b. P. — 67. *casus mortis* R. b. —

Cap. XIX. *sollicitam habere*] h. e. sollicitare; quae formula est minus frequens et multum differt ab illa, qua Verbum *habere* adjunctum Participio Praet. Pass. ponitur pro Praeterito, ut *cognitum habeo* pro *cognovi*. Exempla sunt: Cic. ad Div. VII. 3: *Sollicitum autem te habebat cogitatio tum officii, tum etiam periculi*; ad Att. XVI. 1: *Dymaeos agro pulsos mare infestum habere nihil mirum.*

atqui tert.] *atqui* h. l. in Syllogismo, qui usus hujus Particulae est frequentissimus, adhibetur, ubi nos *nun aber*; cfr. XXII. 81.

§. 67. *quamvis sit adolescens*] monendum, hanc sententiam ad sententiam — *se ad vesperum esse victurum* — referendam esse. *Mihi exploratum est* insolentius est affirmantis jactantisque.

tristius cur.] i. e. acerbioribus molestioribusque remediis, ut Fam. IV. 13: *Quo facilius, quibus est iratior, respondere tristius posset.*

mel. et prud. viv.] Honestatis et prudentiae plus esset, quam temeritatis, quae est adolescentium.

mens—et rat. et consil.] De vo-

silium in senibus est: qui si nulli fuissent, nullae omnino
civitates essent. Sed redeo ad mortem impendentem. Quod
illud est crimen senectutis, cum (illud) videatis cum ado-
68 lescentia esse commune? Sensi ego cum in optimo filio
meo, tum in exspectatis ad amplissimam dignitatem fratribus
tuis, Scipio, omni aetati mortem esse communem. — At
sperat adolescens, diu se victurum: quod sperare idem se-
nex non potest! Insipienter sperat. Quid enim stultius,
quam incerta pro certis habere, falsa pro veris? — Senex, ne
quod speret quidem, habet! At est eo meliore conditione,
quam adolescens: cum id, quod ille sperat, hic iam conse-
69 cutus est. Ille vult diu vivere: hic diu vixit. Quamquam,
o dii boni! quid est in hominis vita diu? Da enim supre-
mum tempus: exspectemus Tartessiorum regis aetatem. Fuit
enim, ut scriptum video, Arganthonius quidam Gadibus, qui
octoginta regnavit annos, centum et viginti vixit. Sed mihi
ne diuturnum quidem quidquam videtur, in quo est aliquid
extremum. Cum enim id advenit; tunc illud, quod praete-
riit, effluxit: tantum remanet, quod virtute et recte factis
consecutus sis. Horae quidem cedunt et dies et menses et
anni: nec praeteritum tempus umquam revertitur, nec, quid
sequatur, sciri potest. Quod cuique temporis ad vivendum
70 datur, eo debet esse contentus. Neque enim histrioni, ut
placeat, peragenda est fabula; modo, in quocumque fuerit

68. om. *jam* post *hic* E. T. b. B. et alii. — 69. *tum ill.* R. E. b. V. — 70. *fabula est* R. E. T. et alii Ed. Orell. —

cibus *mens* et *ratio* vid. supra XII. 41 et XI. 36; *consilium* autem h. l. pro prudentia positum est, ut Muren. 12: *Mulieres propter infirmitatem consilii.*

§. 68. *fratribus tuis*] De his adi ind. hist. in voc. Aem. Paull.

quid est diu] Ipse illud, quod dixit — *hic diu vixit* — reprehendit.

§. 69. *quod praeteriit, effluxit*] Nam quae res *effluxit*, tamquam flumine temporis abrepta, non est amplius in nostra potestate; quae *praeteriit*, cogitatur revocari posse.

actu, probetur: nec sapienti usque ad Plaudite veniendum.
Breve enim tempus aetatis satis est longum ad bene hone-
steque vivendum: sin processeris longius, non magis dolen-
dum est, quam agricolae dolent, praeterita verni temporis
suavitate, aestatem auctumnumque venisse. Ver enim tam-
quam adolescentiam significat, ostenditque fructus futuros:
reliqua tempora demetendis fructibus et percipiendis accom-
modata sunt. Fructus autem senectutis est, ut saepe dixi, 71
ante partorum bonorum memoria et copia. Omnia vero,
quae secundum naturam fiunt, sunt habenda in bonis. Quid
est autem tam secundum naturam, quam senibus emori? quod
idem contingit adolescentibus adversante et repugnante na-
tura. Itaque adolescentes mori sic mihi videntur, ut cum
aquae multitudine vis flammae opprimitur: senes autem, sic-
ut sua sponte, nulla adhibita vi, consumtus ignis exstingui-
tur: et quasi poma ex arboribus, si cruda sunt, (vi) avellun-

---

Plaud. veniendum est Ed. Orell. R. E. — 71. *cruda si sint* R. E. et alii. — *vix avell.* R.

§. 70. *ad Plaudite*] i. e. ad extremam senectutem. Peracta enim fabula unus ex histrionibus ad spectatores conversus: *Plaudite* inquiebat.

§. 71. *bonorum mem. et cop.*] i. e. multorum benefactorum memoria. Est enim ἓν διὰ δυοῖν, quo epitheton tamquam Substantivum Substantivo suo per Conjj. *et*, *que*, *atque* apponitur, unaque notio enunciatur, ut duae. Sic Off. I. 4: *Nec vero illa parva vis naturae est rationisque.* Acadd. II. 8: *Si ista vera sunt, ratio omnis tollitur, dux lumenque vitae.* Cfr. Brem. ad Nep. Epamin. I. 3. Comparandus etiam locus XVII. 59: *Tum Lysandrum, intuentem ejus purp.* etc.

emori] Hujus Verbi compositi apud Ciceronem nonnisi Infinitivus reperitur, ubi aut opposita *vivere* et *nasci* pleniorem vocem exspectabant, aut vitandus erat iambici versus exitus; cfr. infra XXII. 80 et Tusc. I. 41. 97: *dii boni! quid lucri est emori!*

quasi poma —] Notandus est usus particulae *quasi* pro *quemadmodum*, cum raro ea plenam enunciationem adjunctam, sed com-

tur; si matura et cocta, decidunt: sic vitam adolescentibus vis aufert, senibus maturitas. Quae mihi quidem tam iucunda est, ut, quo propius ad mortem accedam, quasi terram videre videar, aliquandoque in portum ex longa navigatione esse venturus.

Caput XX.

Docet L. Bruti, Deciorum, Reguli, L. Paulli, Marcelli *ipsarumque* legionum Romanarum exemplis, mortem homini omnino esse contemnendam; senibus etiam optandam, siquidem satietas vitae afferat tempus mortis maturum.

72 XX. Omnium aetatum certus est terminus; senectutis autem nullus certus est terminus; recteque in ea vivitur, quoad munus officii exsequi et tueri possis et tamen mortem contemnere. Ex quo fit, ut animosior etiam senectus sit, quam adolescentia, et fortior. Hoc illud est, quod Pi-

---

72. om. verba *certus est terminus* post *nullus* Lall. Facciol g. — (*possit, mortemque contemnere* R. — *est illud*, S. V. m. —)

parationem indicare soleat diversarum rerum.

vi avell.] Vocem *vi* uncis inclusit Gernhardus; et sane melius ea aberat. Quare grata erit, quam ex Cod. praestantissimo R. exhibuit nuper Orellius lectionem *vix*, quam in textum recepit.

videre videar] Insignioris etiam alliterationis exempla supra habes XI. 38. extr.: *sensim sine sensu;* et XVI. 55: *vitiis videar vindicare.* In quibus Langio Cicero decorum servasse videtur in Catonis persona. Nam saeculum illud figuris hujusmodi delectatum esse, quale sit Ennii illud: *O Tite, tute Tati, tibi tanta, tyranne, tulisti.*

Cap. XX. §. 72. *et tamen mortem cont.*) haec verba, quod ad sententiam, cum sequentibus connectenda sunt; sensus enim est: Senectus animosior est, quod mortem potest contemnere; sed, quae est familiaris sermonis negligentia, sententia *et tamen* etc. inversa est atque cum ennunciatione *quoad munus* etc. conjuncta a scriptore.

animosior — et fortior] animose vivere est sine metu, non abjecto animo vivere. Vir fortis est promptus ad pericula.

sistrato tyranno a Solone responsum est; cum illi quaerenti, qua tandem spe fretus sibi tam audaciter obsisteret, respondisse dicitur: *Senectute.* Sed vivendi finis est optimus, cum, integra mente ceterisque sensibus, opus ipsa suum eadem, quae coagmentavit, natura dissolvit. Ut navem, ut aedificium idem destruit facillime, qui construxit; sic hominem eadem optime, quae conglutinavit, natura dissolvit. Iam omnis conglutinatio recens, aegre; inveterata, facile divellitur. Ita fit, ut illud breve vitae reliquum nec avide appetendum senibus, nec sine causa deserendum sit: vetatque Pythagoras iniussu imperatoris, id est, dei, de praesidio et statione vitae decedere. Solonis quidem sapientis 73

---

audacter F. v. S. m. M. L. P. — *certisque sensibus* R. E. T. B. q. M. L. P. W.; cfr. de hac confusione Oudendorp. ad Suet. Aug. 49. —

audaciter] de Adverbiis *audaciter*, *difficiliter*, *faciliter* vid. Zumpt. gr. c. 62. §. 265. et 266. adnot. 2.

ceterisque sensibus] sc. integris. Nam etiam mens sensibus adnumeratur; Acadd. II. 10. 30: *Mens enim ipsa, quae sensuum fons est atque etiam ipsa sensus est, naturalem vim habet, quam intendit ad ea, quibus movetur.*

illud breve vitae reliq.] *reliquum*, Substantivi loco positum, notandum est. Sic. Cic. de Div. I. 35: *Magnum illud etiam — — eo tempore ipso, quo hoc calamitosum fieret, tantos terrae motus factos esse, ut multa oppida corruerint*; Nep. Chabr. I. 2: *Id novum Agesilaus contuens progredi non est ausus, suosque jam incurrentes tuba revocavit.*

§. 73. *praesidio*] i. e. castello, ut ad Fam. XIII. 19: *Lyso fuerat in nostra causa, nostrisque praesidiis*; Caes. bell. Civ. III. 36: *Domitium cum legionibus adesse, neque se praesidium, ubi constitutus esset, sine auxilio Scipionis tenere posse.*

Solonis quidem] Particula *quidem* in testimoniorum exemplorumque auctoritate Nominibus propriis et appellativis etiam Pronomm. person. eleganter adjicitur, ut supra IX. 30: *Cyrus quidem eo sermone, quem mor.* etc.; et XV. 52: *Vitis quidem,*

elogium est, quo se negat velle suam mortem dolore amicorum et lamentis vacare. Vult, credo, se esse earum suis: sed haud scio, an melius Ennius:

Nemo me lacrumis decoret, nec funera fletu
Faxit.

Non censet lugendam esse mortem, quam immortalitas consequatur.
74 Iam sensus moriendi aliquis esse potest, isque ad exiguum tempus, praesertim seni: post mortem quidem sensus aut optandus, aut nullus est. Sed hoc meditatum ab adolescentia debet esse, mortem ut negligamus: sine qua meditatione tranquillo esse animo nemo potest. Moriendum enim certe est, et id incertum, an eo ipso die. Mortem igitur omnibus horis impendentem timens, qui poterit animo consistere? De qua non ita longa disputatione opus esse videtur, cum recorder, non L. Brutum, qui in liberanda patria est interfectus; non duo Decios, qui ad voluntariam mortem cursum equorum incitaverunt; non M. Atilium, qui ad supplicium est profectus, ut fidem hosti datam con-

---

63. *funera fletum* R. g. — 74. *usque ad* R. b. —

quae natura caduca est, et, nisi fult. etc.; XVII. 60. *M. quidem Valerium Corvum accep.* XIX. 69. *Horae quidem cedunt et menses et an.*; cfr. infra XXIII. 82. Sic in Lael. VII. *Agrigentinum quidem, doctum quendam virum, carminibus Graecis vaticinatum ferunt.*

elogium] hoc fere:
Μηδέ μοι ἄκλαυστος θάνατος μόλοι, ἀλλὰ φίλοισι
Καλλείποιμι θανὼν ἄλγεα καὶ στοναχάς.

nec funera fletu] Valde mihi arridet Cod. optimi R. lectio *fletum*; nam sic, uti nunc legitur, sensus est paulo impeditior; qui planissimus erit, si recepta Regii lectione *funera*, i. e. funerea, de muliere accipias, quae naenias faciat, ut in Virg. Aen. IX. 486:

nec te tua funera mater
Produxi, pressive oculos, et vulnera lavi.

§. 74. *sensus moriendi*] Negari non potest, in ipso moriendi articulo esse sensum aliquem; sed

servaret; non duo Scipiones, qui iter Poenis vel corporibus suis obstruere voluerunt; non avum tuum L. Paullum, qui morte luit collegae in Cannensi ignominia temeritatem; non M. Marcellum, cuius interitum ne crudelissimus quidem hostis honore sepulturae carere passus est: sed legiones nostras, quod scripsi in Originibus, in eum saepe locum profectas alacri animo et erecto, unde se numquam redituras arbitrarentur. Quod igitur adolescentes, et ii quidem non solum indocti, sed etiam rustici, contemnunt, id docti senes extimescent? Omnino, ut mihi quidem videtur, 76
studiorum omnium satietas vitae facit satietatem. Sunt pueritiae certa studia; num igitur ea desiderant adolescentes? sunt et ineuntis adolescentiae; num ea constans iam requirit aetas, quae media dicitur? sunt etiam hujus aetatis; ne ea quidem quaeruntur a senectute; sunt extrema quaedam studia senectutis; ergo, ut superiorum aetatum studia occidunt, sic occidunt etiam senectutis. Quod cum evenit, satietas vitae tempus maturum mortis affert.

C a p i t t. XXI. XXII. XXIII.

Praestantissimam omnium consolationum mortis animi esse divinitatem spemque immortalitatis; de qua Pythagorae, Socratis apud Platonem, Cyri maioris apud Xenophontem dicta laudantur.

---

76. *ejus aet.* R. E. M. P.

is est exigui temporis, praesertim in sene, cujus vita sine luctatione dissolvitur.

§. 75. *collegae*] sc. C. Terentii Varronis, de quo et ipso Paullo ind. hist.

crudelissimus] i. e. acerrimus.

rustici] Cato de re rustica ab init.: *At ex agricolis et viri fortissimi, et milites strenuissimi gignuntur.*

§. 76. *omnino*] i. e. denique.

constans aet.] Intelligitur *constans aetas* eo provecta, ut ab omni levitate absit, media quidem inter adolescentiam et senectutem.

studia] Varia sua cujusque aetatis studia descripsit Horat. Ars poët. v. 158. seqq.

Deinde quantum illa spes viros clarissimos ad benefaciendum reipublicae gloriamque adipiscendam incitaverit, quantoque optimus quisque studio efferatur, illos, quos vel coluerit et dilexerit, vel de quibus audierit et legerit, videndi, pulcherrimo epilogo declaratur a Catone.

77 XXI. Equidem non video, cur, quid ipse sentiam de morte, non audeam vobis dicere: quod eo melius mihi cernere videor, quo ab eo propius absum. Ego vestros patres, P. Scipio, tuque, C. Laeli, viros clarissimos mihique amicissimos, vivere arbitror; et eam quidem vitam, quae est sola vita nominanda. Nam, dum sumus in his inclusi compagibus corporis, munere quodam necessitatis et gravi opere perfungimur: est enim animus coelestis ex altissimo domicilio depressus, et quasi demersus in terram, locum divinae naturae aeternitatique contrarium. Sed credo, deos immortales sparsisse animos in corpora humana, ut essent, qui terras tuerentur, quique, coelestium ordinem contemplantes, imitarentur eum vitae modo atque constantia. Nec me solum ratio ac disputatio impulit, ut ita crederem: sed no-
78 bilitas etiam summorum philosophorum et auctoritas. Audiebam Pythagoram Pythagoreosque, incolas paene nostros, qui essent Italici philosophi quondam nominati, numquam dubitasse, quin ex universa mente divina delibatos animos haberemus: demonstrabantur mihi praeterea, quae Socrates

---

77. *ergo vestros* R. T. — 78. *demonstrabatur* — *quid. v.* —

Cap. XXI. §. 77. *opere*] *opus* h. l. de eo labore usurpatur, quem homini imponit necessitas.

tuerentur] *tueri* dicuntur ii, qui ad rem aliq. protegendam constituti sunt, *defendere*, qui ipsa pericula repellunt.

modo] i. e. modestia vel temperantia.

ratio ac disputatio] h. e. argumentatio e naturae humanae cognitione ducta.

§. 78. *incolas paene nost.*] de Pythag. vid. ind. hist.

Socrat. disser.] apud Platonem in Phaedone.

supremo vitae die de immortalitate animorum disseruisset, is, qui esset omnium sapientissimus oraculo Apollinis iudicatus. Quid multa? sic mihi persuasi, sic sentio: cum tanta celeritas animorum sit, tanta memoria praeteritorum, futurorumque prudentia, tot artes tantae scientiae, tot inventa; non posse eam naturam, quae res eas contineat, esse mortalem: cumque semper agitetur animus, nec principium motus habeat, quia se ipse moveat; ne finem quidem habiturum esse motus, quia numquam se ipse sit relicturus: et, cum simplex animi natura esset, neque haberet in se quidquam admistum dispar sui atque dissimile, non posse eum dividi; quod si non possit, non posse interire: magnoque esse argumento, homines scire pleraque ante, quam nati sint, quod iam pueri, cum artes difficiles discant, ita celeriter res innumerabiles arripiant, ut eas non tum primum accipere videantur, sed reminisci et recordari. Haec Plato noster.

---

tot scientiae b. M. L. Facciol g. — 79. *Haec Platonis fere.* T. b. M. L. Lall. — *haec sunt Platonis fere* E. v. *haec Plat. sunt fere* v. S. V. —

tantae scientiae] est hic Genit. Sing. non Nominat. Plur. Sensus est: tot artes, quae magnam scientiam postulant.

dispar — dissim.] *dispares* res sunt natura et materia, *dissimiles* forma et colore.

non tum prim.] Quantum particulae *tum* et *tunc* usu inter se differant, docet Zumpt. c. 63. §. 285.

reminisci et recordari] *Reminisci* est in memoriam revocare; *recordari* revocata in memoriam contemplari; *meminisse* memoria tenere. Cic. Lig. XII. 35.: *Equidem cum tuis omnibus negotiis interessem, memoria teneo, qualis T. Ligarius, quaestor urbanus, fuerit erga te et dignitatem tuam; sed parum est, me hoc meminisse; spero etiam te, qui oblivisci nihil soles, nisi injurias, quoniam hoc est animi, quoniam etiam ingenii tui, te aliquid de hujus illo quaestorio officio cogitantem, etiam de aliis quibusdam quaestoribus reminiscentem recordari.*

Haec Plato noster] Male tue-

79 **XXII.** Apud Xenophontem autem moriens Cyrus maior haec dicit: „Nolite arbitrari, o mihi carissimi filii, me, cum a vobis discessero, nusquam aut nullum fore. Nec enim, dum eram vobiscum, animum meum videbatis: sed eum esse in hoc corpore, ex iis rebus, quas gerebam, intelligebatis.
80 Eundem igitur esse creditote, etiam si nullum videbitis. Nec vero clarorum virorum post mortem honores permanerent, si nihil ipsorum animi efficerent: quo diutius memoriam sui teneremus. Mihi quidem numquam persuaderi potuit, animos, dum in corporibus essent mortalibus, vivere; cum exissent ex iis, emori! nec vero, (tum) animum esse insipientem, cum ex insipienti corpore evasisset; sed cum omni

---

80. *eorum ipsorum anim.* Ed. Orell. — *tum anim.* Ed. Orell.

tur hanc lectionem Gernh.; librorum optimorum lectio *Haec Platonis fere* recipienda est. Recte enim Orellius: *Qui sic rescripserunt, minime meminerunt, Catonem hic, non Ciceronem loqui.* Quod autem Gernh. cum Ernest. et Schuetz., sic cum sequentibus — *apud. Xenoph. autem Cyrus* — melius responderi dicit, nihil est. Nam particula *autem*, h. l. ut saepissime, praesertim in philosophicis Ciceronis libris, nulla restrictione antecedentium opponit, sed apponit tantum aliquid novum, inservitque nectendae continuandaeque orationi. Sic Off. I. 26: *Sed haec quidem hactenus. — Illud autem sic est judicandum, maximas geri res, et maximi animi ab iis, qui respublicas regant.*; et ibid. 28: *His igitur expositis, quale sit id, quod decere dicimus, intellectum puto. — Officium autem, quod ab eo ducitur, hanc primum habet viam, quae deducit ad convenientiam, conservationemque naturae.* Itaque verba *Haec Platonis fere* a capite XXI. ad XXII. non erant referenda.

Cap. XXII. §. 79. *apud Xenoph.*] in Cyropaedia VIII. 7. 17. seqq.

§. 80. *creditote*] de hoc Imperat. adi Zumpt. gramm. c. 79. §. 585. cfr. etiam paulo infra 81. et supra I. 3.

emori] vid. supra ad XIX. 71.

admixtione corporis liberatus, purus et integer esse coepisset, tum esse sapientem. Atque etiam, cum hominis natura morte dissolvitur, ceterarum rerum perspicuum est, quo quaeque discedant; abeunt enim illuc omnia, unde orta sunt: animus autem solus, nec cum adest, nec cum discedit, apparet. Iam vero videtis, nihil esse morti tam simile, quam 81
somnum. Atqui dormientium animi maxime declarant divinitatem suam: multa enim, cum remissi et liberi sunt, futura prospiciunt. Ex quo intelligitur, quales futuri sint, cum se plane corporis vinculis relaxaverint. Quare, si haec ita sunt, sic me colitote, ut deum: sin una est interiturus

---

purus et integer] hae voces significatione non differunt, nisi quod hujus positiva, illius negativa est ratio. Nam res *pura* dicitur cum ratione contaminationis, *integra* nullo ejusmodi respectu habito, ut nos fere: geläutert und unentweiht.

atque etiam] mox sensum intensivum, mox aequiparativum habet; nos ja sogar, ja gerade, eben so auch. Hoc quidem loco vim habet aequiparativam.

quo quaeque discedant] Eurip. Suppl. 532:

Ὅθεν δ' ἕκαστον εἰς τὸ σῶμ' ἀφίκετο,
Ἐνταῦθ' ἀπῆλθε, πνεῦμα μὲν πρὸς αἰθέρα,
Τὸ σῶμα δ' εἰς γῆν· οὔτι γὰρ κεκτήμεθα
Ἡμέτερον αὐτό, πλὴν ἐνοικῆσαι βίον.

§. 81. *Iam vero*] continuationi inservit.

quam somnum] ut Ovid. Amor. II. 9. 14:

Stulte, quid est somnus, gelidae nisi mortis imago?

Atqui] Falluntur, qui particulam *atqui* h. l. in ipso Syllogismo versari negant. Syllogismum enim tribus suis terminis absolutum habemus; Medius est *somnus*, Major *mors*, Minor *divinitas* seu immortalitas. Cfr. Tusc. III. 7. 14: *Qui fortis est, idem est fidens. Atqui in quem cadit aegritudo, in eundem timor. — Ita fit, ut fortitudini aegritudo repugnet;* et supra XIX. 66.

divinitatem suam] Sic Hom. Iliad. I. 64:

καὶ γάρ τ' ὄναρ ἐκ Διός ἐστιν.

remissi] minime agitati.

ut deum] ut immortalem; ad quem proinde sensus aliquis rerum vestrarum pertinebit.

animus cum corpore, vos tamen, deos verentes, qui hanc omnem pulcritudinem tuentur et regunt, memoriam nostri pie inviolateque servabitis.

82 XXIII. Cyrus quidem haec moriens. Nos, si placet, nostra videamus. Nemo umquam mihi, Scipio, persuadebit, aut patrem tuum Paullum, aut duos avos, Paullum et Africanum, aut Africani patrem, aut patruum, aut multos praestantes viros, quos enumerare non est necesse, tanta esse conatos, quae ad posteritatis memoriam pertinerent, nisi animo cernerent, posteritatem ad se pertinere. An censes — ut de me ipso aliquid more senum glorier — me tantos labores diurnos nocturnosque domi militiaeque suscepturum fuisse, si iisdem finibus gloriam meam, quibus vitam, essem terminaturus? nonne melius multo fuisset, otiosam aetatem et quietam sine ullo labore et contentione traducere? Sed, nescio quomodo, animus, erigens se, posteritatem semper ita prospiciebat, quasi, cum excessisset e vita, tum denique victurus esset. Quod quidem ni ita se haberet, ut animi immortales essent, haud optimi cuiusque animus maxime ad im-
83 mortalitatem gloriae niteretur. Quid? quod sapientissimus

---

82. *me ipse* L. P. — *multo melius* E. b. — *ad immortalitatis gloriam* B. e. M. P. 3. *ad immortalem gloriam* b. v. S. V. m. *ad immortalitatem* prob. Wundero. —

hanc pulcrit.] *hanc* h. l. δεικτικῶς pro Adverbio loci demonstrativo ad usum Graecorum positum est; sic etiam supra II. 4.

pulcritudinem] pulcritudo h. l. mundus est, κόσμος — Welt-Ordnung. —

Cap. XXIII. §. 82. *tanta esse conat. — nisi an. cern.*] *conatos esse*, pro *fuisse conaturos* propter hypotheticam sententiae rationem, ut paulo infra me *suscepturum fuisse* cfr. Zumpt. c. 80. §. 590. adnot. *Cernerent* autem Imperf. hypoth. pro Plusquampf. vid. Zumpt. c. 78. §. 525.

otiosam aet. et quietam] *quietus* est, qui ad publica negotia non adit, *otiosus*, cui tempus ad studia vacat.

quisque aequissimo animo moritur, stultissimus iniquissimo,
nonne vobis videtur animus is, qui plus cernat et longius,
videre, se ad meliora proficisci: ille autem, cuius obtusior
sit acies, non videre? Equidem efferor studio, patres vestros,
quos colui et dilexi, videndi: neque vero eos solum conve-
nire aveo, quos ipse cognovi, sed illos etiam, de quibus au-
divi et legi, et ipse conscripsi. Quo quidem me proficiscen-
tem haud sane quis facile retraxerit, neque tamquam Peliam
recoxerit. Quod si quis deus mihi largiatur, ut ex hac ae-
tate repuerascam et in cunis vagiam, valde recusem. Nec
vero velim, quasi decurso spatio, ad carceres a calce revo-
cari. Quid enim habet vita commodi? quid non potius la- 84
boris? Sed habeat sane; habet certe tamen aut satietatem,
aut modum. Non lubet enim mihi deplorare vitam, quod
multi, et ii docti, saepe fecerunt: neque me vixisse poeni-
tet; quoniam ita vixi, ut non frustra me natum existimem:
et ex vita ita discedo, tamquam ex hospitio, non tamquam
ex domo. Commorandi enim natura deversorium nobis, non
habitandi locum dedit. O praeclarum diem, cum ad illud
divinum animorum concilium coetumque proficiscar, cumque

---

84. om. *locum* Ed. Orell. —

§. 83. *recoxerit*] i. e. adolescentem fecerit. De Pelia recocto vid. ind. hist.

largiatur] i. e. concedat, ut Fam. V. 12: *Amori nostro plusculum etiam, quam concedit veritas, largiare.*

a calce] i. e. a meta. Senec. Ep. 108: *Hanc, quam nunc in circo cretam vocamus, calcem antiqui dicebant.*

§. 84. *commodi*] i. e. opportunitatis (Bequemlichkeit) ut Verr. I. 18: *Si spatium ad dicendum nostro commodo vacuosque dies habuissemus.*

aut satietat. aut mod.] *satietatem* sc. commodorum; *modum* sc. laborum.

concilium coetumque] *concilium* congregatio est amicorum, *coetus* honestorum; huic *colluvio* i. e. multitudo hominum sordidorum opponitur, illi *turba*, in qua scilicet omnia plena sunt rixae et perturbationis.

ex hac turba et colluvione discedam! Proficiscar enim non ad eos solum viros, de quibus ante dixi; verum etiam ad Catonem meum, quo nemo vir melior natus est, nemo pietate praestantior! Cuius a me corpus crematum est; — quod contra decuit ab illo meum — animus vero non me deserens, sed respectans, in ea profecto loca discessit, quo mihi ipsi cernebat esse veniendum. Quem ego meum casum fortiter ferre visus sum; non quo aequo animo ferrem; sed me ipse consolabar, existimans, non longinquum inter nos
85 digressum et discessum fore. His mihi rebus, Scipio — id enim te cum Laelio admirari solere dixisti — levis est senectus, nec solum non molesta, sed etiam iucunda. Quod si in hoc erro, quod animos hominum immortales esse credam, lubenter erro; nec mihi hunc errorem, quo delector, dum vivo, extorqueri volo: sin mortuus, ut quidam minuti philosophi censent, nihil sentiam, non vereor, ne hunc erro-

---

non quod v. S. V. et alii. — 85. *defectionem* E. Hittorp. T. b. probb. Gul. et Wundero. Recepit Sch. 2. — Sed *cujus* ad solam aetatem refertur; nec satis recte dici posse arbitror *fabulae defectio.* Orta autem prava ista scriptura est ex antiquiore *defetigatione*, ut §. 36. Cld. Manutii item pro *defatigatione* habet *defectione*. Orell. —

nemo vir] *nemo* pro *nullus* ex syntaxi ornatiore.

quod contra] pro *cum contra*, ut Lael. XXIV. 90: *Peccasse enim se non anguntur, objurgari moleste ferunt; quod contra oportebat, delicto dolere, correctione gaudere.*

digressus et discessus] *digressus* est h. l. temporis intervallum, quod congressiones prohibet (Trennung); *discessus* tempus per quod abesse aut licet, aut oportet.

§. 85. *minuti philos.*] qui immortalem animum esse negabant; ut Epicurus et alii. Divin. I. 30: *Hunc (sc. Epicurum) ergo anteponam Platoni et Socrati? Qui, ut rationem non redderent, auctoritate tamen hos minutos philosophos vincerent eosdemque plebejos.*

rem meum mortui philosophi irrideant. Quod si non sumus immortales futuri, tamen exstingui homini suo tempore optabile est. Nam habet natura, ut aliarum omnium rerum, sic vivendi modum. Senectus autem peractio aetatis est, tamquam fabulae: cujus defatigationem fugere debemus, praesertim adiuncta satietate. — Haec habui de senectute quae dicerem: ad quam utinam perveniatis! ut ea, quae ex me audistis, re experti probare possitis.

---

cujus defatig. fug.] Nam si supra modum vita duceretur, defatigatio inde sequutura esset; quo facto honeste peragi senectus non posset.

INDEX HISTORICUS.

Acilius M'. Glabrio a. U. DLXII, Scipione Nasica Optim. collega, consul factus in Graeciam ad bellum cum Antiocho missus est, quem ad Thermopylas gravi proelio vicit.

Acilius M'. Balbus una cum T. Quinctio Flaminino consulatum gessit a. U. DCIII, quo anno Cato sermonem de senectute habuisse a Cicerone fingitur.

Aelius S. Paetus, juris civilis omnium peritissimus et bonus orator. Hic cum T. Flaminino consul fuit a. U. DLV teste Livio XXXII. 7.

Aemilius M. Lepidus bis consul fuit a. U. DLXVI et DLXXVIII. et pontifex maximus a. U. DLXXIII creatus est, et censor a. U. DLXXIV. Hujus tanta fuit auctoritas, ut et princeps senatus ab sextis censoribus legeretur, et Ptolomaei regis filio Alexandriam a senatu tutor mitteretur. Idem, antequam exspiraret, praecepit filiis, ut se sine ullo sumtu efferrent.

Aemilius L. Paullus, Macedonici pater, idemque Africani minoris avus, a. U. DXXXVII iterum consul, in proelio illo funestissimo ad Cannas interfectus est, quod C. Terentius Varro, ejus in imperio collega, temere cum Hannibale inierat. Hunc, qui extremo proelio vulneribus fessus in saxo sedebat, quum Lentulus trib. milit. praetervehens, equo oblato, horta-

retur, ut a se protectus aufugeret, manere maluit, atque in strage militum suorum exspiravit.

Aemilius L. Paullus, cognomine **Macedonicus**. Hic cum de Hispanis et Liguribus, tum de Macedonia triumphavit, Perseo rege Macedonum in proelio ad Pydnam devicto captoque, praeda etiam maxima potitus a. U. DLXVI; cfr. Liv. XLIV. 17 — 46; XLV. 1 — 9 et 27 — 42. De quattuor filiis, quos habebat Macedonicus, duos, alterum Fabio Maximo, Cunctatoris filio, alterum P. Scipioni, Africani majoris filio, in adoptionem dedit; duos, quos natu minores in familia retinuerat, praetextatos, alterum ante, alterum post paucos triumphi Mac. dies immatura morte amisit. Filia autem ejus, nomine Tertia, Catonis filio nupsit. Hic a. U. DXCIII, annos LXVI natus, decessit.

Aetna, mons Siciliae ignivomus, quo premuntur gigantes, ut est in fabula; cfr. Virg. Aen. III. 578.

Africanus, vide Cornelius.

Ahala, vide Servilius.

Ajax post Achillem fortissimus Graecorum, qui quidem bello Trojano interfuerunt; cfr. Hom. Il. β. 768.

Albinus, vide Posthumius.

Ambivius L. Turpio actor scenicus Catonis aetate celeberrimus, qui plerasque Terentii fabulas agebat.

Apollo, artis vaticinandi deus; cujus oraculum totius Graeciae celeberrimum Delphis erat institutum.

Appius, vide Claudius.

Archytas Tarentinus, Pythagoreus. Hic et in geometria atque arte mechanica excelluit, et magistratibus imperiisque summa cum gloria praefuit. Vixit circa tempora Furii Camilli, anno fere Urbis conditae trecentesimo septuagesimo quarto; de hujus sepulcro cfr. Horat. Od. I. 28.

Arganthonius, rex Tartessiorum, propter vitae diuturnitatem inclutissimus; octoginta enim annos regnavit, centum et viginti vixit; cfr. Herodot. Clio. §. 163.

Aristides, Atheniensis, aequalis fuit Themistocli, quocum de principatu certabat. cfr. Nep. Aristid.

Aristo, philosophus Stoicus, patria Chius. Hic dialogum scripsit, in quo Tithonum, Aurorae maritum, de senectute ejusque miseriis disserentem induxit.

Athenae, urbs totius Graeciae nobilissima, in agro Attico sita. Huc se Romani ad philosophiam litterasque elegantiores discendas conferre frequentissimi solebant.

Athenienses, incolae Athenarum.

Atilius C. Regulus, vir summa religione, summaque erga patriam pietate. Hic enim, quum iterum consul a. U. DIII a Poenis, quos identidem acie superaverat, ex insidiis captus et de captivis commutandis Romam missus esset, juratus, se rediturum, nisi redditi essent captivi: primum, ut venit, captivos reddendos in senatu non censuit, deinde, hortantibus amicis et propinquis, ut in patria, ut domi suae cum uxore et liberis maneret, redire maluit, quam fidem hosti datam fallere. Atque sciebat, se ad exquisita proficisci supplicia; de quibus Tubero apud Gell. VI. 4. ita refert: *In atras et profundissimas tenebras eum claudebant: ac diu post, ubi erat visus sol ardentissimus, repente educebant, et adversus ictus solis oppositum continebant, atque intendere in coelum oculos cogebant. Palpebras quoque ejus, ne connivere posset, sursum ac deorsum diductas insuebant.*

Atilius M. Calatinus, vir maxima auctoritate; qui quidem a clarissimo duce, Catulo Lutatio, quum is, victa atque deleta ad Aegates insulas classe Poenorum, cum Valerio de jure triumphandi disceptaret, judex petitus est litis dirimendae. Idem a. U. CDXCV., et iterum CDXCIX consul fuit, a. U. DIV dictator.

Atticus, vide Pomponius.

B.

Brutus, vide Junius.

C.

Caecilius L. Metellus, vir et virtute bellica et pietate erga deos insignis. Hic enim a. U. DII consul factus Poenos navali pugna devicit; ex quo speciosissimum egit triumphum, trede-

cim ducibus hostium et centum viginti elephantis in eo ductis. Idem pontificatui maximo ab anno U. c. DX. usque ad a. DXXXII summa cum auctoritate praefuit; in quo quidem A. Posthumium consulem, eundemque flaminem Martialem, quum is ad bellum gerendum proficisci vellet, in Urbe tenuit, multa indicta, si is a sacris recederet. In eodem sacerdotio, quum templum Vestae arderet, ex incendio sacra rapuit.

Caecilius Statius, vide Statius.

Caepio, vide Servilius.

Camillus, vide Furius.

Cannae, vicus in Apulia, Romanorum clade, quae a. U. DXXXVII accidit, nobilis; unde Adjectivum

Cannensis, e.

Capua, totius olim Campaniae urbs praestantissima, quam Vulturnus amnis interfluit, a camporum latitudine, in quibus sita est, ita dicta, ut Cicero inquit. Hanc urbem Hannibal post pugnam Cannensem, deficientibus ad eum incolis, occupavit, ibique exercitum in hibernis habuit. Eadem a. U. DXLI a consulibus Quint. Fulvio Flacco et App. Claudio Pulchro est recepta. Cfr. Liv. XXIII. 17 seqq. et XXVI. 12 seqq.

Carvilius Sp. Maximus alterum consulatum gessit a. U. DXXV cum Q. Fabio Maximo iterum consule.

Cato, vide Porcius.

Caudium, oppidum Samnitium, a quo non longe distant Furculae Caudinae, ubi exercitus Romanus sub ductu T. Veturii Calvini et Sp. Posthumii Albini a. U. CDXXXII a Samnitibus interclusus atque sub jugum missus est.

Cento, vide Claudius.

Cethegus, vide Cornelius.

Cincinnatus, vid. Quinctius.

Cincius M. tribunus plebis a. U. DXLIX legem de donis et muneribus tulit, qua, ut Tacit. Ann. XI. 5. ait, cavebatur, *ne quis ob causam orandam pecuniam donumve acciperet.*

Cineas, Thessalus, discipulus fuit Demosthenis, idemque orator facundissimus. Hic a Pyrrho, quem in omnibus expeditionibus amicissime comitabatur, Romam missus est legatus, ut ipsius nomine cum senatu de pace ageret. Hinc quum infectis rebus rediisset, interrogatus a Pyrrho de senatu Roma-

no, respondit, senatum illum sibi deorum visum esse consessum.

Claudius App. Crassus cum L. Furio Camillo consul fuit a. U. CDIV.

Claudius App. Crassus, cognomine **Caecus**, vir fuit maximae auctoritate, maximaque constantia. Nam quum oculis captus esset, in hoc casu per multos annos neque privato neque publico muneri defuit; et quum a. U. CDLXXII in senatu de pace cum Pyrrho ineunda ageretur, annos LXX natus lectica se in curiam deferri jussit, gravissimaque oratione Cineae, Pyrrhi legato, obstitit, ne ante cum Pyrrho, quam is finibus Italiae decessisset, pax iniretur. Hic cum Fabio Censor viam ex lapide quadrato stravit, quae a porta Capena Capuam vel Brundusium usque ducebat Appiaque denominata est; idem aquam, quae ab eo Appia dicta est, in urbem duxit.

Claudius C. Cento, Caeci F. a. U. DXIII simul cum M. Sempronio Tuditano consulatum gessit; quibus consulibus primus omnium L. Livius poëta fabulas docere Romae coepit.

Claudius M. Marcellus, cujus opera in bello Punico secundo magna fuit, — idem enim Syracusas expugnavit — a. U. DXLV, jam sexagenarius, quartum consul quum, inter Venusiam Bantiamque castra contra Hannibalem habens, speculandi causa cum collega T. Quinctio Crispino et paucis equitibus castris egressus esset, insidiis — indignum tanto viro casum! — circumventus est atque occisus. Cujus corpus Hannibal eodem loco, quo inventum erat, sepelivit. Cfr. Liv. XXVII. 25. et 26.

Cleanthes, philosophus Stoicus, Zenonis auditor atque successor. Hic, Assi in oppido Lyciae natus, novem et nonaginta annos complevit; qui quum ex eo quaereretur, pigeretne eum vitae tam longae: „Atqui, inquit, ego saepenumero hinc profecturus eram; tum autem videns, me bona etiam tunc esse valitudine, posse me, ut olim, lectioni operam dare, posse scriptioni, diutius etiam manere decrevi.“

Colonus locus editus fuit, non procul ab Athenis, in quem Oedipus Thebis exulans dicitur commigrasse; ab hoc derivatur Adjectivum,

Coloneus, a, um.

Cornelius Cn. Scipio, Africani majoris patruus, bello Punico secundo inclaruit. Hic enim, in Hispania terra marique re bene gesta, per insidias fraudemque Poenorum una cum fratre P. Scipione interiit. Quam ob virtutem hi tamquam exemplar fortitudinis atque erga patriam amoris a scriptoribus Romanis collaudantur. Cfr. Liv. XXXVIII 58.; Cic. Off. III. 4.; Nat. Deor. III. 32.; de Repub. I. 1: *duo Scipiones oriens incendium belli Punici secundi sanguine suo restinxerunt.*

Cornelius P. Scipio Africani majoris pater; vid. Corn. Cn. Scip.

Cornelius P. Scipio Africanus major, ut alia taceam, post casum patris in Hispaniam ad bellum Punicum cum imperio missus uno die Novam Karthaginem, natura et arte egregie munitam, cepit; Hasdrubalem et Magonem cecidit; in totum Poenum possessione Hispaniae exclusit. Pari felicitate, cum praetor esset Siciliae, exercitu in Africam trajecto, Syphacem Numidarum regem et Hasdrubalem pluribus proeliis vicit, ipsumque Hannibalem ad Zamam ingenti proelio fudit fugavitque. Inde quum Karthaginem et a terra et a mari oppugnare pararet, Karthaginiensium legati pacem petentes ad eum venerunt; quam iis hic ita concessit, ut eorum res valde deminueret et Massinissae, quem in omnibus proeliis adjutorem habuerat, regnum paternum ex Syphacis finibus adauctum restitueret. Ita quum debellatum esset, in Italiam rediit, atque a. U. DLII, Cn. Cornelio Lentulo, P. Aelio Paeto consulibus triumpho omnium clarissimo Urbem invectus est. Hujus quanta fuerit auctoritas, refert Livius XXXVIII 51. et 52.

Cornelius P. Scipio, Africani majoris filius, cum propter infirmitatem valitudinis patris similis esse non posset, Paulli Macedonici filium, qui postea Africanus minor dictus est, adoptavit. Nec tamen hunc infantem fuisse Cicero in Brut. diict: *Qui si corpore valuisset*, inquit, *imprimis habitus esset disertus. Indicant cum oratiunculae, tum historia quaedam graeca, scripta dulcissime.*

Cornelius P. Scipio Nasica, cognomine Corculum, Cn. Scipionis, qui cum fratre in Hispania occisus est, nepos, bis

consul fuit, et pontifex maximus a. U. DCIII. Hic propter juris prudentiam aliarumque rerum sapientiam cognomen habebat Corculi, id est Sapientis.

Cornelius P. Scipio Africanus minor, Aem. Paulli Macedonici filius, quem P. Scipio, Africani filius, adoptavit. Hic jam adolescens in bello Macedonico, Hispaniensi, Africano et manu fortem, et ducem strenuum se praestitit. In Hispania donatus est corona murali, in Africa obsidionali, cumque esset annorum XXXVI, consul extra legem creatus, in Africam ad bellum Punicum tertium cum imperio missus Karthaginem, atrocissime a civibus defensam, a. U. DCVII expugnavit ac funditus sustulit; unde, quemadmodum avus ejus adoptivus, P. Scipio, cognominatus est Africanus. Idem, quattuordecim annis post excisam Karthaginem, Numantiam in Hispania vi cepit atque solo aequavit. Multum autem cum Catone sene consuescere solebat Aemilianus, et familiarissimus fuit Laelio Sapienti.

Cornelius M. Cethegus. orator facundissimus aetate Africani majoris vixit; a. U. DXLIX consulatum gessit cum P. Sempronio Tuditano.

Coruncanius Ti. primus e plebe pontifex maximus fuit; adeoque hic pontificibus M. P. Scipioni et P. Scaevolae comparatur, ne dicam anteponitur. Idem primus publice jus docere Romae coepit, cum antea domi tantum consulentibus responderent juris consulti. Consulatum gessit a. U. CDLXXIII cum P. Valerio Laevino.

Corvus, vid. Valerius.

Critobulus, Atheniensis, Socratis auditor; cfr. Xenoph. Oecon. c. 4. et Memorab. II. 6.

Crassus vid. Licinius.

Croton sive Crotone, urbs maritima in agro Bruttiorum, a Graecis condita; quae cum salubritate aëris, — unde proverbium *Κρότωνος ὑγιέστερον* — tum laude athletarum maxime inclaruit. A voce Croton derivatur nom. gentile

Crotoniates sive Crotoniata.

Curius M'. Dentatus homo adeo frugi fuit, ut tamquam norma esset Romanae continentiae, unde illud:

Qui Curios simulant, et Bacchanalia vivunt.

Hic quidem, quum ei magnum auri pondus per legatos misissent Samnites, ab ipso victi, vultum, ut ait Valer. Max. IV. 3. 5., risu solvens respondit: *Supervacuae, ne dicam, ineptae legationis ministri, narrate Samnitibus M'. Curium malle locupletibus imperare, quam ipsum fieri locupletem: atque istud ut preciosum, ita malo hominum excogitatum munus refertote, et mementote, me nec acie vinci, nec pecunia corrumpi posse.* Idem ex praeda Pyrrhi, qua exercitum Urbemque ditaverat, nihil attigit. Primum consulatum gessit a. U. CDLXIII, in quo magistratu et Samnites cecidit, et Sabinos, qui rebellaverant, vicit atque in deditionem accepit; in altero consulatu a. U. CDLXXVIII regem Pyrrhum tanta clade affecit, ut is de bello Romano desperans in totum Italia decederet.

Cyrus major, Cambysis filius ex Mandane, Astyagis regis Medorum filia. Hic Medorum imperio in Persas, quorum rex factus est, translato, totaque Asia subacta, Massagetis bellum intulit, in quo insidiis circumventus est atque trucidatus, teste Herodoto Clio §. 214. Xenophon autem in Cyropaedia VIII. 7. 17. seqq. hunc et senem et domi in lectulo morientem fecit.

Cyrus minor, Darii Nothi filius, qui, cum satrapa esset Lydiae, suasore Lysandro, rebus Peloponnesiorum favebat, eosque in bello cum Atheniensibus pecunia sublevabat.

D.

Decius P. Mus Q. F., cum jam tribunus militaris pericula audacius subiisset, exercitumque Rom. Samnitium obsidione liberasset, triennio post, a. U. CDXIII, bello Latino, consul in proelio ad Veserim, suis Latinorum impressionem non ferentibus, caput pro salute reipublicae devovit, atque concitato equo in aciem hostium irrupit. Quo ejus facto superati sunt et deleti Latini. Cfr. Liv. VIII. 9.

Decius P. Mus, P. F. eadem erga patriam pietate, eademque morte, qua pater, gloriam sempiternam sibi peperit. Hic

enim, quum a. U. CDLVIII in quarto suo consulatu adversus Gallos et Samnites in agro Sentinate pugnaret, jamque acies Romanorum in fugam converteretur; patrem Decium nomine compellans, atque inde eadem precatione, eodemque habitu, quo pater, devotus, in confertissimam Gallorum aciem concitat equum; inferensque se ipse infestis telis interficitur. Quo redintegrati Romanorum animi, caesusque est hostium exercitus. Cfr. Liv. X. 28. 29.

Democritus, physicus, Leucippi auditor. Hic, anno fere U. c. CCLIV Abderae in oppido Thraciae natus amplius centum annos vixit; tantoque fuit discendi studio, ut quinque artibus genere diversissimis, logicae, physicae, ethicae, mathematicae, poëticae, operam daret; unde Graecis πένταθλος dictus est.

Diogenes Seleuciensis ad Tigrim, philosophus Stoicus, qui cum Carneade Academico et Critolao Peripatetico a. U. DXCVIII ab Atheniensibus Romam missus est legatus. Hic annos octoginta octo vixit.

Duilius C., qui postea Bellius dictus est, a. U. CDXXXIX primus Romanorum Poenos navali pugna superavit; de quo Liv. Epit XVII: C. *Duilius consul adversus classem Poenorum prospere pugnavit, primusque omnium Romanorum ducum navalis victoriae duxit triumphum: ob quam causam ei perpetuus honos habitus est, ut revertenti a coena, tibicine canente, funale praeferretur.*

E.

Ennius Q., poëta antiquissimus apud Romanos, Rudiis, ignobili Apuliae loco, ortus est. Hunc M. Porcius Cato, quaestor ex Africa decedens, ex Sardinia Romam deduxit, eoque familiarissime usus est; sed alii etiam clarissimi viri, ut Scipio Africanus, et Fulvius Nobilior. Scripsit autem Ennius varii generis carmina, ut epica, quales sunt Scipio et Annales; didactica, qualis est Epicharmus; epigrammata, satyras, comoedias, tragoedias; deinde alia etiam carmina, quale ad T. Flamininum, in quo hujus animum curis bellicisque laboribus perturbatum placare studet. Versus ex Ennii carminibus, praesertim annalium libris, passim in scriptis suis laudare solitus est Cicero. Hic tanta fuit paupertate, ut usque ad extremam

senectutem in colle Aventino unius ancillae ministerio contentus habitaret. Obiit autem annos natus septuaginta.

picurus, philosophus, qui ejus sectae, quae ab eo Epicurea dicta est, autor fuit. Hic summum bonum in voluptate, non illa quidem corporis, sed animi, id est in absentia dolorum ponebat; idque professus est ipsa inscriptione in aditu hortorum, in quibus docebat, posita: *Hospes, hic bene manebis, hic summum bonum voluptas est*; ut est ap. Senec. Ep. 21. Ipse quidem continentissimus fuisse traditur; nomen tamen illud voluptatis, in qua summum bonum ponebat, effecit, ut ab eo homines voluptarii Epicurei dicerentur. Natus autem Gargetti prope Athenas usque ad Pyrrhi tempora vixit, complevitque annos septuaginta, a. U. CDLXXXIV diem obiens supremum.

F.

abius Q. Maximus, cognomine Cunctator, genus suum ad clarissimam Fabiorum illorum gentem refert, qui omnes praeter unum in bello Vejenti per insidias occisi sunt. Hic bello Punico secundo a. U. DXXXVII, cum annos natus esset sexaginta, dictator adversus Hannibalem creatus, cunctabunda quadam prudentia rem Romanam, priorum imperatorum temeritate labefactatam, primus restituit; eodemque bello, quum a. U. DXLIV quartum esset consul, Tarentum, triennio ante ab Hannibale, deficientibus ad eum incolis, occupatum, recepit. Tanta autem fuit hujus viri moderatio, tantaque animi aequabilitas, ut et mortem filii, viri consularis, fortiter ferret, et, quum is ipse summo populi consensu consul crearetur, quam constantissime cum populo ageret, ut vacationem aliquando hujus honoris Fabiae genti darent, non quod filii virtutibus diffideret (erat enim illustris) sed ne maximum imperium in una familia continuaretur. Senectutem usque ad annum LXXII perduxit.

abricius C. Luscinus, talis Romae fuit, qualis Aristides Athenis. Huic enim par erat et justitia et pietate et continentia. Qui quum, a. U. CDLXXVI iterum consul, adversus Pyrrhum castra haberet, perfuga quidam a rege eum conve-

nit, eique pollicitus est, si praemium sibi proposuisset, se in Pyrrhi castra rediturum esse et eum veneno necaturum; quod consilium hic non modo non probavit, sed perfugam etiam ad Pyrrhum reducendum curavit. Ad eundem Pyrrhum legatus de redimendis captivis missus Fabricius, quum Epicuri praecepta de voluptate audisset, continuo Pyrrho et Samnitibus istam sapientiam deprecatus est. Idem, quum ei Samnitium legati magnam vim auri dono obtulissent orassentque, ut acciperet, quod ad splendorem domus atque victus ei multa deesse viderent, his respondisse dicitur: Dum auribus, oculis, naribus, linguae, gulae, ventri obsistere atque imperare posset, numquam quidquam sibi defuturum. Quapropter pecuniam, qua nihil sibi esset usus, ab iis, quibus eam sciret usui esse, non accipere. — Et profecto hic tantus vir in tanta vixit paupertate, ut filiae ejus dotibus de communi aerario datis collocarentur.

Flaccus, vid. Valerius.

Flamininus, vide Quinctius.

Flaminius C. Nepos, aliquot annis ante secundum Punicum bellum, cum tribunus plebis esset, invito senatu, legem agrariam tulit de agro Gallico et Piceno viritim dividendo. Idem postea bis consul fuit, primum cum P. Furio Philo a. U. DXXX, iterum sexennio post cum Cn. Servilio Gemino.

Furius L. Camillus, in primo consulatu, quem quidem magistratum ter gessit, App. Claudium Crassum collegam habuit a. U. CDIV.

G.

Gades, urbs Hispaniae opulentissima, antiquissimis temporibus a Phoenicibus in littore maris exterioris condita.

Gallia cisalp. majore Italiae superioris parte continetur, quam a. U. DXXXI M. Claudius Marcellus consul, Bojis et Insubribus devictis, sub potestatem Romanorum redegit. Inde derivatur Adjectivum

Gallicus, a, um; ager Gallicus pars est Galliae cisalp. cis Ariminum sitae, in quam Romani, Gallis Senonibus a. U. DXVI a. L.

Cornelio a. U. DXVI expulsis, auctore Flaminio trib. pl. colonos miserunt.

Gallus C., vide Sulpicius.

Gorgias Leontinus, sophistarum Italicorum princeps, aetate Socratis vixit, et centum septem annos complevit.

Glabrio, vid. Acilius.

Graeci, artium et litterarum elegantiorum laude omnium gentium nobilissimi, qui tribus generibus constabant; uno, qui Iones, altero, qui Dores, tertio, qui Aeoles nominabantur. Inde Adject.

Graecus, a, um.

H.

Hannibal, Karthaginiensis, fortissimus et callidissimus dux Poenorum, qui bellum Punicum secundum cum populo Romano gessit. Cfr. Corn. Nep. Hannib.

Hesiodus Ascraeus in Boeotia, poëta antiquissimus apud Graecos, qui cum alia, tum carmen de re rustica conscripsit, ἔργα καὶ ἡμέραι inscriptum. Hic ad tantam senectutem pervenit, ut ea in proverbium abiret: Ἡσιόδειον γῆρας.

Hispania, quam a. U. DXLVIII P. Cornelius Scipio, Poenis devictis et in totum possessione ejus exclusis, sub Romanorum potestatem redegit.

Homerus, princeps poëtarum, patria, ut videtur, Chius, vel ut alii volunt, Smyrnaeus; quamquam septem civitates hunc suum sibi civem vindicasse accepimus, ut est ap. Gell. III. 11:

ἑπτὰ πόλεις διερίζουσι περὶ ῥίζαν Ὁμήρου,
Σμύρνα, Ῥόδος, Κολοφών, Σαλαμίν, Ἴος, Ἄργος, Ἀθῆναι.

Hic, quem anno fere ducentesimo ante Urbem conditam vixisse, et ad summam senectutem pervenisse tradunt, bellum Trojanum et errores Ulyssis carminibus descripsit.

I.

Ida, mons Phrygiae, quo quidem monte Cybeles, quam eandem Bonam Matrem appellabant, sacra orta indeque

Idaea dicta sunt. Haec autem sacra, libris Sibyllinis monentibus, Pessinunte Romam advecta, et in aedem Victoriae in Palatio a P. Cornelio Nasica delata sunt, a. U. DXLIX, M. Cor-

nelio Cethego, P. Sempronio Tuditano consulibus. Quo anno a Catone sodalitas, id est, collegium sacrorum causa in honorem Deae constitutum est, cujus membra statis diebus, quibus sacra fierent, simul epulabantur.

Isocrates, Atheniensis, maximus et suavissimus orator, cujus domus cunctae Graeciae quasi ludus quidam dicendi patuit. Hic Platonem et Gorgiam sophistam audivit; scripsitque cum alias orationes, ut Panegyricum, tum, cum jam nonagenarius *esset*, Panathenaicum, de festo Minervae Panathenaico, quo eam recitavit, sic dictum. Centum et sex annos vixisse traditur.

Italicus, a, um. Adj. a nom. Italia. Italici dicebantur philosophi a Pythagora, qui, ut ipse, Magnam Graeciam id est, Italiam inferiorem incolerent.

Junius L. Brutus, regibus ab ipso exactis, primus Romae consul fuit cum L. Tarquinio Collatino a. U. CCXLV. Qui, quum Tarquinius Superbus regnum atque Urbem recuperare vellet, cum Arunte Tarquinio, regis filio, concurrens, hunc interfecit et ab ipso est interfectus.

K.

Karthago, urbs maritima in Africa sita, caput civitatis Karthaginiensis. Ea tertio Punico bello a. U. DCVII a Scipione Aemiliano expugnata est atque deleta.

L.

Lacedaemon sive Sparta, clarissima totius Peloponnesi urbs in agro Laconico, Lycurgi legibus optime instituta. Inde nomen gentile

Lacedaemonius.

Laelius C. Sapiens patrem habuit Cajum Laelium, qui cum L. Cornelio Scipione Asiatico consul fuit a. U. DLXIII, idemque aequalis fere Catoni Censorio. Hic non tam bellica laude — quamquam Viriathum vicit — quam doctrina et morum praestantia clarus fuit. Nam et doctus orator erat, lenis imprimis in dicendo ac dulcis; et tanta fuit in omni vita hilaritate animi atque aequabilitate, ut eadem semper, ut Cicero narrat, fronte conspiceretur; quo factum est, ut eum appellarent Sapientem. Aequalis fuit idemque familiarissimus Scipioni Africano minori; qua de causa Cicero eum librum,

quem de Amicitia conscripsit, de hujus nomine Laelium denominavit. Cfr. Cic. Lael. IV. et Off. I. 30.

Laërtes Ithacensis, pater Ulyssis.

Licinius P. Crassus et consul fuit a. U. DLXXXII cum C. Cassio Longino, et pontifex maximus non multo ante Catonis Cens. mortem. Hic pontificii et civilis juris peritissimus fuisse traditur.

Livius Andronicus Tarentinus, Livii Salinatoris libertus, primus omnium tragoedias Romae docuit a. U. DXIII C. Claudie Centone, M. Sempronio Tuditano consulibus. De quo Valer. M. II. 4. 4. de spectaculis: *Paulatim deinde ludicra ars ad satyrarum modos perrepsit: a quibus primus omnium poëta Livius ad fabularum argumenta spectantium animos transtulit. Isque sui operis actor, cum saepius a populo revocatus vocem obtudisset, adhibito pueri et tibicinis concentu, gesticulationem tacitus pergit.*

Livius C. Salinator, aequalis fere Catoni Censorio, cum M. Valerio Messala a. U. DLXV. consul creatus est; pontifex decessit a. U. CLXXXIII, annos circiter septuaginta natus.

Livius M. Salinator, secundo Punico bello arci Tarentinae praefectus, Tarentum, occupante Hannibale, amisit; quo amisso in arcem fugit, quam usque ad receptum a Fabio Tarentum obtinebat. Quod autem Cicero M. Livium cognominavit Salinatorem, anachronismo erravit; nam anno Urbis conditae quingentesimo quadragesimo quarto, quo Tarentum receptum est, Liviorum genti nondum erat cognomen Salinatoris; quod quidem anno demum quingentesimo undequinquagesimo, M. Cornelio Cethego, P. Sempronio Tuditano coss., M. Livio, homini huic cognato, a populo inditum est, quum is censor novum vectigal ex salaria annona statuisset. Praefectus autem ille arcis Tarentinae cognomen habebat Macati. Cfr. Liv. XXVII. 34. et XXIX. 37.

Lysander, Lacedaemonius, qui, quum, extremo bello Peloponnesio, exercitui Lacedaemoniorum praeesset, Cononem, ducem Atheniensium, ad Aegospotamos navali proelio superavit. Cfr. Corn. Nep. Lys.

Lysimachus, Atheniensis, Aristidis Justi filius. Cfr. Plat. Laches.

M.

Maelius Sp. homo praedives ex equestri ordine, quum in cara annona largitionibus frumenti plebem sibi, de regno agitanti, delinire studeret, neque, ob id ad causam dicendam vocatus, venisset; jussu L. Quinctii dictatoris, a. C. Servilio Ahala magistro equitum interemtus est, a. U. CCCXVI, T. Quinctio Capitolino, Agrippa Menenio Lanato consulibus.

Magna mater vid. Ida.

Masinissa Numidarum rex fuit, isque longe maximus omnium aetatis suae regum. Hic primum acerrimum nominis Romani hostem se gessit, militavitque pro Carthaginiensibus in Hispania; deinde paterno regno a Syphace expulsus, P. Scipioni, a. U. DXLIX in Africam venienti, socium se junxit, eumque in omnibus proeliis plurimum adjuvit. Qui quam varia fortuna usus sit in amittendo recuperandoque paterno regno, Liv. XXIX. 29 — 34 pluribus exposuit. Idem usque ad extremam senectutem tam bona valitudine, tamque vegeto corporis robore usus est, ut nonagesimo aetatis anno iter, quamvis prolixum, faciens, equum numquam ascenderet.

Marcius Q. Philippus iterum consul fuit, a. U. DLXXXIV una cum Cn. Servilio Caepione, quum decem et septem ante annis primum consulatum gessisset, in quo quidem collegam habuit Sp. Postumium Albinum.

Maximus vid. Fabius.

Medea insignis incantatrix fuit, Aeëtae, Colchorum regis, filia; quam Jason, qui in Colchos ad tollendum aureum vellus a Pelia patruo missus erat, in Graeciam secum advexit.

Metellus vid. Caecilius.

Milo, athleta Crotoniensis; qui taurum in Olympiaco certamine ictu nudae dextrae occidisse dicitur, et sine fatigatione per stadii spatium supra humeros portasse. Atque huic, malum tenenti digitis, nemo poterat extorquere; quum constiterat, nemo vestigio educere. Eundem septies Olympiae in ludis gymnicis vicisse memoriae proditum est, ut in epigrammate illo Simonideo:

Μίλωνος τόδ' ἄγαλμα καλοῦ καλόν, ὅς ποτε Πίσῃ
Ἕπτα νικήσας ἐς γόνατ' οὐκ ἔπεσεν.

De hujus morte Valer. Max. IX. 12. 9. Extern. ita refert: *Milo Crotoniates, cum iter faciens quercum in agro cuneis adactis fissam vidisset, fretus viribus, accessit ad eam, insertisque manibus divellere conatus est: quas arbor excussis cuneis in suam naturam revocata compressit, eumque cum tot gymnicis palmis lacerandum feris praebuit.*

N.

Naevius Cn. Campanus primus Romae comoedias fecit, easque, teste Gellio N. A. XVII. 21. anno post Romam conditam quingentesimo undevicesimo apud populum dedit. In quibus quum de Graecorum poëtarum more probra in principes civitatis dixisset, in vincula a triumviris conjectus est; ibique duas fabulas, Ariolum et Leontem, scripsit. Idem de primo Punico bello, in quo ipse militaverat, carmen epicum fecit, Mortuus esse traditur a. U. DXLIX, M. Cethego, P. Tuditano consulibus.

Nearchus Tarentinus, Pythagoreus; quem Cato Tarenti audivit, et quocum ei hospitium erat.

Nestor, Nelei filius, rex Pyliorum propter diuturnitatem aetatis inclitissimus. Is enim tres hominum aetates vixisse traditur, ut est apud Homerum Odyss. γ. 245: *Τρὶς γὰρ δή μίν φασιν ἀνάξασθαι γένε' ἀνδρῶν.* Interfuit autem cum reliquis Graecis principibus bello Trojano, in quo consilii dexteritate plurimum profuit rebus Graecorum, ut refert Homerus, qui Agamemnonem optare solitum fecit Hom. Il. β. 371:

Αἲ γάρ, Ζεῦ τε πάτερ, καὶ Ἀθηναίη, καὶ Ἄπολλον,
Τοιοῦτοι δέκα μοι συμφράδμονες εἶεν Ἀχαιῶν·
Τῷ κε τάχ' ἠμύσειε πόλις Πριάμοιο ἄνακτος,
Χερσὶν ὑφ' ἡμετέρῃσιν ἁλοῦσά τε περθομένη τε.

Idem tanta fuit facundia, ut *Nestorea eloquentia* proverbio sit, si quando senilem suaviloquentiam significamus. Cfr. etiam Iliad. α. 250.

O.

Oeconomicus, liber de tuenda re familiari a Xenophonte conscriptus.

Oedipus, Laii, regis Thebanorum, ex Iocasta filius. Hic, qui

propter oraculum ex partu a parentibus expositus, a pastore servatus erat, quum in patriam rediret, patrem obvium per rixam imprudens occidit; matremque in conjugem sumsit. Quo scelere suo cognito se ipse in poenam oculis orbavit, et Thebis exulans Athenas commigravit. De hoc Sophocles duas tragoedias fecit, quarum altera Oedipus tyrannus, altera, quae de hujus adventu in agrum Colonum et de morte agit, Oedipus Coloneus inscripta est.

Olympia (τὰ Ὀλύμπια), ludi sacri ab Hercule in honorem Jovis instituti; qui quinto quoque anno circa Olympiam, Eleae regionis urbem, cum summa cunctae Graeciae clelebritate, per quinos dies habebantur. In quibus non solum gymnicis artibus, ut saltu, cursu, disco, caestu, palaestra; sed musicis etiam, ut lyra, cantu, carmine inter se certabant.

Origines, libri historici a Catone conscripti. vid. Porcius.

P.

Panathenaicus, oratio Isocratis, vid. Isocrates.

Paullus, vide Aemilius.

Pelias, Jasonis patruus, quem Medea medicamentis recoxit, id est, ex sene decrepito juvenem reddidit, ut est in fabula. Cfr. Ovid. Metam. VII. 297.

Persae, populus Asiae regni latitudine, idemque divitiis et luxuria insignis; unde Adject.

Persicus, a, um.

Philippus, vid. Marcius.

Picenum, regio Italiae superioris, septentriones versus Gallis Senonibus adjacens; inde Adj.

Picenus, a, um, cfr. Gallicus.

Pisistratus, Hippocratis filius, tyrannus Athenarum; qui Atheniensium populo eloquentia, qua summa pollebat, sibi delinito, tyrannidem occupavit, Solone, quantum poterat, ei resistente. Hic autem vixit, Servio Tullio Romae regnante, id est, circa annum Urbis conditae ducentesimum.

Plato Atheniensis, illustri genere ortus, philosophorum Homerus. Hic adolescens Socratem audivit; quo mortuo discendi causa primum in Aegyptum ad sacerdotes, post in Italiam et Siciliam contendit, ut Pythagorae inventa perdisceret; ibique

multum cum Archyta Tarentino, cum Timaeo et Arione et Echecrate Locris fuisse dicitur. Omnino autem Plato tria itinera in Italiam fecit et Siciliam, quorum in primo Tarentum venit a. U. CCCLXV, non, ut Cicero vult, L. Furio Camillo, App. Claudio Crasso consulibus, quod esset a. U. CDIV, cum quidem is annos XL natus esset. Tanto autem discendi studio fuisse fertur, ut, altero et octogesimo anno decedens, sub capite Sophronis mimos haberet.

lautus M. Accius, natione Umber, poëta comicus, Catonis aetate Romae in scena floruit. Triginta autem et centum comoediae sub Plauti nomine ferebantur; ex iis, quae a Plauto scriptae videntur, viginti adhuc extant; quarum quidem sunt Truculentus et Pseudolus. Hunc poëtam quanti fecerint Romani, proditum est hoc epigrammate:

Postquam est morte captus Plautus,
Comoedia luget, scena est deserta:
Deinde risus, ludus, jocusque et numeri
Innumeri simul omnes collacrymarunt.

oenus, i. e. Karthaginiensis.

omponius T. Atticus, nobilis eques Romanus, vir excellenti ingenio et moribus humanissimis, amicus fuit Ciceronis. Hic adolescentulus, quum tumultu Cinnano civitas perturbaretur, neque ipse propter affinitatem P. Sulpicii, qui tribunus plebis in eo interfectus fuerat, expers esset periculi, Athenas se contulit; ibique, cum L. Cornelio Cinna, Cn. Octavio consulibus, id est, a. U. DCLXVII eo commigrasset, usque ad annum DCLXXXIX est commoratus. Hic ita se gerebat, ut ei propter beneficia atque liberalitatem in rempublicam et civitas donaretur, et absenti statua poneretur. Multum autem tempus Graecis litteris dedit, Atticumque sermonem tam probe didicit, ut commodissime loqueretur Attice; unde cognomen videtur habere Attici. Cfr. Cornel. Nep. Atticus.

ontius C. Samnis, a. U. CDXXXII imperator factus Samnitium, exercitus Romanos ad Furculas Caudinas inter duos saltus clausos sub jugum misit. Hujus pater fuit Herennius Pontius; unde intelligitur, errasse Ciceronem, qui Cajum Pont. Caji Pontii patrem dixit. Quamquam Herennius nomen gentis esse potest, et Cajus idem patris praenomen.

Pontius T., homo alioquin ignobilis, centurio maximi roboris fuit. Cfr. adnot. §. 33. p. 27.

Porcius M. Cato, cognomine Censorius, M. P. Catonis Uticensis proavus, a. U. DIX, circa secundi Punici belli tempora Tusculi in municipio Romano natus est. In heredio, quod in Sabinis a patre relictum habebat, laboribus rusticis et paupertate primam adolescentiam exercebat. Hortatu deinde L. Valerii Flacci Romam demigravit, atque honoribus operam dare coepit. Hic autem primum stipendium adolescentulus decem et septem annorum meruit, cum Q. Fabio Maximo ad Capuam et Tarentum miles profectus; quae urbes sub finem secundi Punici belli, in Italia quidem gesti, receptae sunt. Mox tribunus militum in Siciliam profectus est cum M. Claudio Marcello, qui a. U. DXLIII Syracusas expugnavit. Unde quum rediisset, pugnae ad Senam interfuit, qua Hasdrubal Hannibalis frater a. C. Claudio Nerone fusus est atque interfectus; quae pugna accidit a. U. DXLVI. Eodem bello quaestor obtigit P. Scipioni, qui, cum praetor esset Siciliae, exercitu in Africam a. U. DXLIX trajecto, Poenos ad Zamam devicit. Inde decedens Cato Ennium poëtam ex Sardinia Romam deduxit; quod, judice Nepote in Cat. I. 4., non minoris aestimandum erat, quam quilibet amplissimus Sardiniensis triumphus. Sardiniam enim praetor obtinuit a. U. DLV. Consul autem a. U. DLVIII cum L. Valerio Flacco, quem supra nominavimus, factus, provinciam sortitus est Hispaniam citeriorem; in qua quidem provincia multas gentes rebellantes partim bello domuit, partim oratione imperio Romano conciliavit. In bello denique contra Antiochum M'. Acilium Glabrionem consulem tamquam consularis legatus comitatus est; hicque in praelio ad Thermopylas, Aetolis a jugo Callidromi dejectis, magni fuit ejus opera. A. U. DLIX cum eodem Flacco, quem in consulatu collegam habuerat, censor factus severe praefuit ei potestati; nam et complures nobiles senatu movit, in quibus etiam L. Quintium Flamininum consularem, et multas res novas in edictum addidit, quibus luxuria Romanorum reprimeretur. Quo factum est, ut is postea Censorii haberet cognomen. Usque ad extremam senectutem,

quo tempore in augurum etiam erat collegio, Cato in curiam ire non destitit; atque tum quidem sententia sua de delenda Karthagine inclaruit. Nam sive de suscipiendo bello Karthaginiensi, sive de aliis rebus senatus habebatur, usque sententiae suae addidisse dicitur: *Ceterum equidem censeo, Karthaginem esse delendam.* Quod bellum antequam susciperetur, anno Cato decessit uno, aetatis octogesimo quinto, L. Marcio Censorino, M'. Manilio consulibus; cum eo ipso anno contra Ser. Galbam summa contentione dixisset. Atque haec quidem de vita Catonis publica. Hic autem litterarum etiam laude floruit. Nam et septem historiarum libros conscripsit, in quibus res Romanas, ortusque civitatium Italicarum exposuit — ob quam causam eos videtur Origines appellasse — et orationes causarum illustrium, quas defenderat, confecit, et librum de re rustica edidit; idem senex ab Ennio poëta litteras Graecas didicit. Ceterum de laude ingenii, morum artiumque, in quibus excelluerit Cato, audiendi sunt Livius et Cicero, quorum ille XXXIX. 40: *Omnes patricios plebejosque nobilissimarum familiarum M. Porcius longe anteibat. In hoc viro tanta vis animi ingeniique fuit, ut, quocunque loco natus esset, fortunam sibi ipse facturus fuisse videretur. Nulla ars, neque privatae, neque publicae rei gerendae, ei defuit. Urbanas rusticasque res pariter callebat. Ad summos honores alios scientia juris, alios gloria militaris provexit; huic versatile ingenium sic pariter ad omnia fuit, ut natum ad id unum diceres, quodcunque ageret. In bello manu fortissimus, multisque insignibus clarus pugnis; idem, postquam ad magnos honores pervenit, summus imperator: Idem in pace, si jus consuleres, peritissimus; si causa oranda esset, eloquentissimus. Nec is tantum, cujus lingua vivo eo viguerit, monumentum eloquentiae nullum extet; vivit imo vigetque eloquentia ejus, sacrata scriptis omnis generis. Orationes et pro se multae, et pro aliis, et in alios; nam non solum accusando, sed etiam causam dicendo, fatigavit inimicos. Simultates nimio plures et exercuerunt eum, et ipse exercuit eas; nec facile dixeris, utrum magis presserit eum nobilitas, an ille agitaverit nobilitatem. Asperi procul dubio animi, et linguae acerbae, et immodice liberae fuit; sed invicti a cupiditatibus animi, et rigidae inno-*

centiae; contemtor gratiae, divitiarum. In parsimonia, in patientia laboris, periculi, ferrei prope corporis animique; quem ne senectus quidem, quae solvit omnia, fregerit; qui sextum et octogesimum annum agens causam dixerit, ipse pro se oraverit scripseritque: nonagesimo anno Ser. Galbam ad populi adduxerit judicium. — Apud Ciceronem autem de Rep. II. 1. Africanus minor haec dicit: *Catonis hoc senis est, quem, ut scitis, unice dilexi, maximeque sum admiratus, cuique vel patris utriusque judicio, vel etiam meo studio me totum ab adolescentia dedidi; cujus me nunquam satiare potuit oratio: tantus erat in homine usus reipublicae, quam et domi et militiae cum optime, tum etiam diutissime gesserat; et modus in dicendo, et gravitate mixtus lepos, et summum vel discendi studium vel docendi, et orationi vita admodum congruens.*

Porcius Cato, Censorii filius, omnibus litteris artibusque ingenuis ab ipso patre institutus, mature, a. U. DCI, decessit, quum quidem praetor esset designatus; atque hic a patre crematus est. Duxerat is uxorem Paulli Macedonici filiam, nomine Tertiam, Africani minoris sororem. Praeter hunc alter etiam filius fuit Catoni, nomine Salonianus, ex Salonii clientis sui filia, quam senex Cato in matrimonium duxerat.

Posthumius Sp. Albinus consul fuit cum T. Veturio Calvino a. U. CDXXXII, quo anno Caudina clades accidit Romanis.

Posthumius Sp. Albinus, Catoni Censorio fere aequalis, cum Q. Marcio Philippo consul fuit a. U. DLXVII; a quo consule Bacchanalia, tum primum in Urbem introducta et nocturno tempore habita, investigata sunt et multorum poena sublata. Is augur mortuus est a. U. DLXXIII.

Pseudolus, comoedia Plauti vid. Plautus.

Punicus a, um, i. e. Karthaginiensis.

Punicum bellum, carmen Naevii, vid. Naevius.

Pyrrhus, rex Epirotarum, generosissimus fortissimusque. Hic a. U. CDLXXIII a Tarentinis contra populum Romanum auxilio arcessitus, per novem annos bellum grave cum Romanis gessit, eosque pluribus proeliis superavit. Victus tandem caesusque a Curio Dentato consule, Italia decessit.

Pythagoras, patria Samius, tyrannum Samiorum, Polycratem fugiens, Lucio Tarquinio Superbo Romae quartum annum regnante, i. e. a. U. CCXXIII in Italiam venit, et primus Crotonae sedem suam constituit; deinde multis post annis Metapontum migravit, ibique annum nonagesimum nonum agens decessit. Hic primus non sapientem (σοφόν), sed studiosum sapientiae (φιλόσοφον) se vocari voluit, quum maxima floreret doctrinae auctoritate. Idem nova de animorum migratione praecepta edidit, docuitque divinos esse hominum animos, eosque relicto corpore in aetherem puriorem avolare et migrare in alias sedes, cum corpus humanum quasi statio esset animi. Quam quidem Pyth. sententiam Plato refert in Phaed. c. 5. extr. et 6. med.: Ὡς ἔν τινι φρουρᾷ ἐσμὲν οἱ ἄνθρωποι, καὶ οὐ δεῖ δὴ ἑαυτὸν ἐκ ταύτης λύειν, οὐδ' ἀποδιδράσκειν. Et in Aureis dictis extr.: Ἢν δ' ἀπολείψας σῶμα ἐς αἰθέρ' ἐλεύθερον ἔλθῃς, Ἔσσεαι ἀθάνατος θεός, ἄμβροτος, οὐκ ἔτι θνητός.

Pythagorei, philosophi a Pythagora, ut Alcmaeon Crotoniates, Hippasos Metapontinus, Archytas Tarentinus, aliique, qui Magnam Graeciam, id est, Italiam inferiorem incolebant. Horum privata quaedam erant, sed ea sapientissima instituendae vitae praecepta; in quibus etiam illud, ut, quid quoque die egissent, quidve agendum omisissent, commemorarent vesperi; de quo Carmen Aureum v. 40:

Μηδ' ὕπνον μαλακοῖσιν ἐπ' ὄμμασι προσδέξασθαι,
Πρὶν τῶν ἡμερινῶν ἔργων τρὶς ἕκαστον ἐπελθεῖν·
Πῇ παρέβην; τί δ' ἔρεξα; τί μοι δέον οὐκ ἐτελέσθη;
Ἀρξάμενος δ' ἀπὸ πρώτου, ἐπέξιθι· καὶ μετέπειτα,
Δειλὰ μὲν ἐκπρήξας, ἐπιπλήσσεο· χρηστὰ δὲ τέρπου.

Q.

Quinctius L. Cincinnatus a. U. CCCXV iterum dictator dictus est, cum jam antea hunc magistratum gessisset, tum quidem a viatoribus ex agro in Urbem arcessitus, teste Livio III. 26: *Spes unica imperii populi Romani L. Quinctius trans Tiberim, contra eum ipsum locum, ubi nunc navalia sunt, quatuor jugerum colebat agrum, quae prata Quinctia vocantur.* ;Ib

legatis, seu fossam fodiens palae innisus, seu quum araret, operi certe, id quod constat, agresti intentus, salute data invicem redditaque, rogatus, ut, quod bene verteret ipsi reique publicae, togatus mandata senatus audiret, admiratus, rogitansque, satin, salva essent omnia? togam propere e tugurio proferre uxorem Raciliam jubet. Qua simul, absterso pulvere ac sudore, velatus processit, dictatorem eum legati gratulantes consalutant.

Quinctius T. Flamininus, vir strenuissimus fortissimusque, a. U. DLV, quum triginta annis minor esset, consul creatus Philippum, regem Macedonum, ad Cynoscephalas gravi proelio vicit; reversusque in Italiam amplissimo triumpho, per triduum continuato, Urbem est invectus. Triumphantis currum comitabantur duo millia civium Romanorum, quos ille in Graecia servitute exemerat. Idem censor fuit a. U. DLXIV quinquennio ante censuram Catonis. Omnino autem tres consulatus gessit Flamininus.

Quinctius L. Flamininus, Titi Flaminini frater, consul fuit cum Cn. Domitio Ahenobarbo a. U. DLXI. Hic consul, in Gallia, ut puero cuidam a se adamato morientis spectaculum praeberet, nobili Bojo, qui cum liberis ad eum transfugiebat, stricto gladio caput percussit; deinde fugienti, fidemque populi Romani, atque eorum, qui aderant, imploranti latus transfodit. Liv. XXXIX. 42. Propter quod facinus hic a Catone censore motus est senatu.

R.

Romani, omnium potentissimus antiqui orbis terrarum populus, bellicae et civilis artis peritissimus, si quidem Virgilius Aen. I. 22. dicit populnm Romanum

— populum, late regem, belloque superbum.

Iidem priscis temporibus agriculturae plurimum studebant, ut est in Horatii Epist. II. 1. 140:

Agricolae prisci, fortes, parvoque beati.

at in litteris artibusque elegantioribus hi paulo minus versati erant, ut ibid. paulo infra idem Horatius:

Graecia capta serum victorem cepit, et artes
Intulit agresti Latio.

et paulo inferius:

sed in longum tamen aevum
Manserunt, hodieque manent vestigia ruris.

S.

Sabini, qui meridiem versus ad Latium pertinent, jam a Romulo civitati Romanae additi sunt. In Sabinis plerique Romanorum villas habebant, ut Curius, Cato.

Samnites, populi in Samnio, quorum duo sunt genera, Samnites Pentri, et Samnites Caraceni. Hi, quorum civitas opulentissima erat et bellicosissima, multos annos cum populo Romano bella gesserunt.

Sardes, caput Lydiae, ubi Cyrus minor solebat habitare.

Scipio, vid. Cornelius.

Sempronius M. **Tuditanus** cum C. Claudio Centone, Caeci F. consul fuit a. U. DXIII.

Sempronius P. **Tuditanus** cum M. Cornelio Cethego consul fuit a. U. DXLIX.

Seriphus insula in mari Aegaeo, una ex Cycladibus, eaque perexigua atque ignobilis, ut in proverbium abiret. Cfr. Cic. Nat. Deor. I. 31. 88: *Quae sunt tantae animi angustiae, ut, si Seriphi natus esses, nec unquam egressus esses ex insula, in qua lepusculos vulpeculasque saepe vidisses, non crederes leones et pantheras esse, quum tibi, quales essent, diceretur, si vero de elephanto quis diceret, etiam rideri te putares.* et Juven. Sat. X. 168:

Aestuat infelix angusto limite mundi,
Ut Gyarae clausus scopulis, parvaque Seripho.

Eodem mittebantur Romani exules.

Servilius C. **Ahala**, A. L. Quinctio Cincinnato dictus magister equitum, Sp. Maelium de regno agitantem obtruncavit a. U. CCCXVI.

Servilius Cn. **Caepio** consul fuit a. U. DLXXXIV cum Q. Marcio Philippo iterum consule.

Simonides, in insula Ceo natus anno fere U. ducentesimo, non poëta solum suavis sed etiam philosophus fuit. Hic octoginta novem annos vixit, atque octogesimo aetatis anno et carmina se docuisse, et in eorum certamen descendisse ipse gloriatus esse traditur.

Solon, Athenis nobili genere natus, Tarquinio Prisco Romae regnante, anno regni ejus tricesimo tertio, id est a. U. CLXX, leges scripsit Atheniensibus, idemque in numero habitus est septem sapientium Graeciae. Hic Pisistrati tyrannidem cernens orituram, solus eam armis opprimi debere palam ausus est dictitare, et, quum studere Pisistrato senatum, seque nihil proficere vidisset, positis ante curiam armis, Ὦ, πατρίς, inquit, βεβοήθηκά σοι καὶ λόγῳ καὶ ἔργῳ; atque ita in Aegyptum, deinde Cyprum navigavit; ibique senectutem profugus peregit.

Socrates, Sophronisci filius, Atheniensis circa a. U. CCC natus, septuaginta fere annos complevit, vixitque eodem tempore cum M. Furio Camillo. Hic, qui Anaxagoram praeceptorem philosophiae habuit, primus philosophiam de moribus invenit, eamque cives suos, praesertim juvenes, docere solitus est. Quam ob causam, quasi novas religiones introduceret, atque juventutem corrumperet, a judicibus capitis damnatus est atque in carcere veneno necatus; cum extremo vitae die cum auditoribus et amicis praeclare de immortalitate animorum disseruisset. Oraculo Apollinis sapientissimus omnium judicatus est Socrates, ut est apud Suid. in Σοφ.

Σοφὸς Σοφοκλῆς· σοφώτερος δ' Εὐριπίδης·
ἀνδρῶν δὲ πάντων Σωκράτης σοφώτατος.

Sophocles, Sophili filius, Atheniensis ex tribu Colonea, princeps fuit poëtarum tragicorum. Hic, qui annos XVII Socrate senior erat, idemque Euripidi contemperaneus, usque ad summam senectutem tragoedias fecit, traditurque ex insperato gaudio ob victoriam ex tragoedia quadam repente obiisse.

Spurius, vide Posthumius.

Statius Caecilius comoediarum scriptor, de quo Dedigitus in libro de poëtis ap. Gell. N. A. XV. 24:

Caecilio palmam statuo de comico.

Troja, urbs antiquissima et nobilissima in agro Trojano sive Phrygia minori posita. Hanc Graeci, duce Agamemnone, decem per annos obsessam ceperunt atque solo aequarunt.

Tuditanus, vide Sempronius.

Turpio, vid. Ambivius.

V.

Valerius M. Corvus sexies consul fuit, quum ei, a. U. CDV, teste Livio VII. 26., tres et viginti nato annos, primus consulatus datus esset favore populi, quod is tribunus militum Gallum quendam provocatorem in certamine singulari obtruncaverat. Sextum autem consulatum hic obtinuit a. U. CDLIV. In primo consulatu M. Popillium Laenatem collegam habuit, in sexto, in locum T. Manlii Torquati suffectus, M. Fulvium Paetinum. Qui inter primum et sextum intersunt consulatus, gessit ejusdem saeculi annis CDVII, CDX, CDXVIII, CDLIII.

Valerius M. Flaccus cum M. Porcio Catone familiari suo, consul fuit a. U. DLVIII, et censor cum eodem ab a. U. DLXII.

Veturius T. Calvinus cum Sp. Posthumio Albino consul fuit a. U. CDXXXII; quibus consulibus ac ducibus clades Romanis accidit Caudina.

Voconius Q. a. U. DLXXXI legem de coërcendis mulierum hereditatibus tulit, in qua perferenda adjutus est M. Porcii Catonis oratione.

X.

Xenocrates Chalcedonius, Platonis auditor, Speusippi in academia fuit successor. Hic severissimus fuit philosophorum, rigidusque voluptatis ac divitiarum contemtor; de quo Cic. Tusc. V. 32. Anno aetatis octogesimo quarto, quum noctu forte in sartiginem incidisset, mortuus est.

Xenophon Atheniensis, Socratis auditor, propter eloquentiam Musa Attica vocatus, et historiarum libros, Anabasin, Cyropaediam, Hellenica, et de philosophia, ut Symposium, Oeconomicum, aliosque conscripsit.

Z.

Zeno, Citii in oppido Cypri natus, Stoicorum sectae conditor fuit. Hic annos vixit octo et nonaginta, usque ad extremam senectutem optima usus valitudine.

CORRIGENDA.

Pag.	VIII.	praef.	l.	11.	*deese*	leg.	*deesse.*
—	8.	not. a.	l.	2.	Odyss.	leg.	Odyss. ρ.
—	9.	— a.	l.	12.	*eedit*	leg.	*cedit.*
—	13.	text.	l.	13.	*M. Acilius*	leg.	*M'. Acilius.*
—	14.	not. b.	l.	7.	*nam*	leg.	*nam,*
—	15.	text.	l.	4.	*Capit.*	leg.	*Capitt.*
—	16.	—	l.	16.	*fuisset,*	leg.	*fuisset;*
—	16.	not. a.	l.	14.	*procula*	leg.	*procul a.*
—	18.	text.	l.	12.	*senes-centis*	leg.	*sene-scentis.*
—	21.	—	l.	13.	*quidem quae*	leg.	*quidem, quae.*
—	22.	variet.	l.	3.	*Mull.*	leg.	*Muell.*
—	28.	not. a.	l.	5.	*cornu*	leg.	*cornu,*
—	35.	— b.	l.	1.	*sib*	leg.	*sibi.*
—	36.	text.	l.	9.	*poculis?*	leg.	*poculis!*
—	40.	not. a.	l.	2.	*mortem*	leg.	*mentem.*
—	56.	text.	l.	2.	*est*	leg.	*essent.*
—	58.	not. b.	l.	13.	*scriptorc*	leg.	*scriptore.*
—	59.	— b.	l.	12.	*appellativis*	leg.	*appellativis,*
—	60.	text.	l.	2.	*earum*	leg.	*carum.*
—	60.	not. a.	l.	extr.	*Valdc*	leg.	*Valde.*
—	61.	— a.	l.	8.	*ab-*	leg.	*ab*
—	64.	text.	l.	8.	*efficerent:*	leg.	*efficerent,*
—	70.	ind.	l.	10.	*DLXXVIII.*	leg.	*DLXXVIII,*
—	73.	—	l.	25.	*ductu.*	leg.	*ductu*
—	74.	—	l.	27.	*qui quum*	leg.	*qui, quum.*
—	75.	—	l.	31.	*diict*	leg.	*dicit.*
—	75.	—	l.	extr.	*fratrc*	leg.	*fratre.*
—	82.	—	l.	16.	*Supcrbus*	leg.	*Superbus.*
—	83.	—	l.	9.	*Claudíe*	leg.	*Claudio.*
—	83.	—	l.	33.	*qui, quum*	leg.	*qui quum.*
—	85.	—	l.	extr.	*locasta*	leg.	*Iocasta.*
—	86.	—	l.	11.	*clelebritate*	leg.	*celebritate.*
—	86.	—	l.	21.	*Asiac*	leg.	*Asiae.*
—	87.	—	l.	7.	*decedens,*	leg.	*decedens*
—	87.	—	l.	27.	*Hic*	leg.	*Hîc.*
—	89.	—	l.	7.	*dccessit*	leg.	*decessit.*
—	90.	—	l.	extr.	*consale*	leg.	*consule.*
—	91.	—	l.	3.	*primus*	leg.	*primum.*
—	92.	—	l.	4.	*satin,*	leg.	*satin'*
—	92.	—	l.	27.	*populnm*	leg.	*populum.*
—	93.	—	l.	29.	*A. L. Quinctio*	leg.	*a L. Quinctio.*
—	96.	—	l.	27.	*sartiginem*	leg.	*sartaginem.*